



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvatio XXII. De Scientia Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

distinctum, quale nihil in Deo reperitur. Unde nomina accidentalia solummodo proveniunt Deo à rebus ei extrinsecis, ut est Nomen, seu Denominatio Creatoris, Redemptoris, Domini, Iudicis, Remuneratoris &c. si sumantur in actu secundo, & pro virtute exercitâ; si enim sumantur in actu primo, seu pro potentiâ creandi, remunerandi &c. sunt nomina substantialia, juxta dicta numero præcedente.

Varia Dei Nomina accidentalia.

IV. Omnia Dei nomina non sunt synonyma.

Quæres quartò: Utrùm omnia Dei nomina sint Synonyma? Respondetur negativè, maxime in nostrâ sententia, qui suprâ disp. 4. sect. 2. diximus nec Essentiam in Attributis, nec Attributa in Essentiâ, nec unum Attributum in alio formaliter includi, imò & unum Attributum posse, etiam objectivè, ab alio præcindi. Unde licet à parte rei omnia realiter sint idem, cum tamen nomina iis imponantur, non ut sunt in re, sed prout substant diversis conceptibus, & hi nunc unum Attributum representent, nunc aliud in sententiâ præcisiones objectivas admittente, aut totum concipiant in ordine ad diversâ connotata, in alterâ sententiâ, sicut conceptus objectivi non sunt synonymi, ita nec forma-

les, ac proinde neque nomina, quæ ad conceptus formales consequuntur.

Quæres quintò: Utrùm nomen aliquod imponi possit Deo & creaturis commune univocè; seu, quod eodem recidit, utrùm dentur prædicata quædam univoca, abstracta à Deo & creaturis? Quæstionis hujus resolutio ab iis pendet, quæ in dialecticâ tradi solent, de Analogiâ Entis. Cum ergo ibi Disp. 40. sect. 3. dixerim, solam transcendentium constituere Analogiam, sequitur, præter unum prædicatum Entis, reliqua omnia, ut Substantia, Viventis, Spiritus, &c. Deo cum creaturis communia, esse univoca, & consequenter nomina hos conceptus exprimentia erunt similiter univoca.

V. Multa Deo & creaturis sunt communia univocè.

Præ aliis Dei Nominibus, tria à sanctis Patribus maxime celebrantur, Deus, Qui est, & Nomen illud Tetragrammaton; quod, quo pacto pronuncian- dum sit, est incertum, licet vulgò Iehova dici so- leat. Hæc tria, simul cum aliis Dei Nominibus, declarat S. Hieronymus Epist. 136. S. Thomas etiam hic, q. 13. a. 8. 9. 10. & 11. tria ista Nomina inter se comparat, & de iis fusè disputat. Sed hæc pro instituto nostro sufficiunt.

VI. Tria præcipua Dei Nomina.

# DISPUTATIO XXII.

## De Scientia Dei.

**H**ACTENVS de Attributis negativis dictum est, & quid Deus non sit potius, quam quid sit declaravimus. Nunc ergo Divina Natura penitius inspicienda, positivæque ejus perfectiones ac proprietates declarande. Hæc porrò ut plurimum numerantur tres, Scientia, Voluntas, & Potentia, ad quas veluti ad fontes & origines, cætera omnia reducuntur. De his proinde, eâ, qua per rerum gravitatem fas est, brevitate, suo ordine agemus.

### SECTIO PRIMA.

#### Utrùm in Deo sit Scientia.

I. Et si, & naturalis lumine constat dari in Deo Scientiam.



SCIENTIAM Deo quisquis dene- gat, mundi oculum extinguit, cæ- còque omnia casui, ac temeritati, stolidâ fatuitate exponit. Hanc ita- que in Deo reperiri, & Fides docet, & lumine naturali demonstratur: eâdem quippe claritate & certitudine quâ constat Numen esse, quod Universum hoc creet ac guber- net, constat etiam Scientiâ eum & Sipientiâ esse instructum, sine qua nimirum nec rebus hisce pro- spicere, nec ullum prudentis moderatoris obire munus potest.

II. Ratio est, quia Deus res varias Scientiâ præditas pro- ducit, estq; in se Ens om- nium perfe- ctissimum.

Probatur primò: Deus namque res intellectu & scientiâ præditas producit: quis ergo sanæmen- tis eum his carere asseret? Ratio verò à priori est: Deus siquidem Entium omnium Ens est nobilissi- mum & perfectissimum; ergo omnis in eo reperiri debet perfectio sine imperfectione, seu simpliciter simplex, ut loquuntur Theologi: sed intelligere & scire sunt perfectiones, quæ nullam in se involvunt imperfectionem: ergo. Quare appositè ad rem hanc S. Augustinus in illa verba Psalmi; Dominus scit cogitationes hominum: Non habet, inquit, unde audiat, qui tibi fecit unde audias? Ipse non scit qui te

fecit scire? Et, si tu nescis cogitationes Dei, quoniam justæ sunt, ille tamen scit cogitationes hominum, quo- niam vanæ sunt.

Clarissimè veritatem hanc variis locis testatur Scriptura: sic Job 21. v. 22. dicitur: Nunquid Deum docebit quispiam scientiam? Item Ecclesiastici 23. v. 28. Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem: circumspicientes omnes vias hominum, & profundum Abyssî, &c. Tandem, hæc & alia uno verbo complectens Apostolus exclamat: O altitudo divi- tiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, &c.

III. Deum ha- bere scien- tiam, sapa- testatur Scriptura.

Quare tanquam delirium rejiciendum est som- nium illud Averrois, afferentis, Deum creatura- rum scientiam non habere, ne scilicet ex rerum vilissimarum conspectu vilesceret divinus intelle- ctus. Sed hoc, ut dixi, est aperte contra lumen naturæ: quid enim magis absolum, quàm aucto- rem ac moderatorem Universi cæcum constituere: maxime, cum apud omnes in confesso sit, Opus na- turæ esse opus Intelligentiæ.

IV. Male de Scientia Dei loquitur Averroës.

Quare, dum S. Hieronymus in cap. 1. Abacus, Deo indignum esse affirmat, tantam Majestatem ad hoc deducere, ut sciat per momenta singula, quot nascuntur, quot moriantur culices, & alia hujusmo- di: solum vult, non habere Deum scientiam illam præcticam, seu specialem curam, & providentiam, circa res hæcæ, quam habet de hominibus, quos ordinat ac dirigit ad finem supernaturalem. Quo sensu dixerat antea Apostolus: Nunquid de bobus cura est

V. Explicatio dicti ceteris- dam S. Hiero- nymi cir- ca Dei scien- tiam.

1. ad Cor. 9. v. 9.

cura est Deo? Cum tamen certum sit, etiam boves aliquo modo ad Dei providentiam spectare, sicut & passeres, & pullos corvorum, quos, teste Scripturâ, pascit, nec nisi natu ipsius in terram decidunt, aut nascuntur, & intereunt.

VI. Divina Scientia primario versatur circa Deum.

Hæc porro Divina Scientia, quamvis circa res etiam creatas versetur, primò tamen, & præcipuè, versatur circa Deum, qui se per seipsum intelligit, & quicquid in Deo est, perfectissimo modo, atque adeo comprehensive, cognoscit. Quo pacto autem Dei Scientia ad creaturas extendatur, & utrum creaturas in se, aut in ipsis creaturis cognoscat, hujus decursu Disputationis videbimus.

SECTIO SECUNDA.

Declaratur ulterius, quo pacto Divina Scientia primario versetur circa Deum: Vbi, utrum in Deo sit ratio habitus, aut speciei intelligibilis.

I. Potest idem esse cognitio & cognitum, non tamen causa & effectus.

CONTRA id quod in fine sect. præcedentis diximus, Scientiam scilicet Divinam primario circa Deum versari, opponunt aliqui: non posse idem esse cognitionem & cognitum, sicut nec potest res eadem esse simul causa & effectus. Respondetur tamen negando antecedens, cum, ut supra Disp. 18. sect. 7. num. 14. & 15. ostendi, id etiam in creatis contingat; idem quippe actus intellectus sæpe supra seipsum reflectit, sicque se habet pro objecto. Unde de intellectu, seu Scientiâ Dei sic loquitur S. Thomas hic, q. 14. a. 4. ad 3. *Intelligere divinum, inquit, quod est in seipso subsistens, est sui ipsius, & non alicujus alterius, ut sic oporteat procedere in infinitum.* Et ad eandem rem Aristoteles lib. 12. Metaph. cap. 9. de Deo loquens, *seipsum, inquit, intelligit, &c. & intellectio est intellectiois intellectio.* Id ipsum etiam Academici Duce[m] suum Platonem sequentes, passim docebant, Deum nempe seipsum intelligere, quod scilicet præstantissima mens habere pro objecto debeat præstantissimum intelligibile, nihil autem Deo est præstantius.

S. Thomas.

Aristoteles.

Academici.

II. Aliud est de causa & effectus; hic enim realis intercedit productio, & actio, non intentionalis, sed physica, unde causa verè & realiter esse debet natura prior effectu, cum esse, secundum omnes, sit prius quam operari, sicque idem physice, & à parte rei foret prius seipso. Horum autem nihil reperitur in actu intellectus, cum rem sibi objici, aliud nihil sit, quam eam cognosci, seu esse intentionaliter præsentem cognoscenti.

III. Dicit sine incommodo potest Deus objectum & terminum sui cognitionis.

Quare non video cur P. Erice hic Disp. 4. cap. 1. dicat, Essentiam Divinam vocari non posse objectum aut terminum intentionalem secundum rem suæ cognitionis: non, inquam, video cur quisquam hoc dicere refugiat, cum esse objectum aut terminum cognitionis, & esse cognitum sint planè idem, nullaque in re inter illi sit discrepantia. Imò ulterius existimo, quando cognitio Divina cognoscit seipsam, ne ratione quidem cognitum à cognitione distinguatur, nec, quod volunt aliqui, dari in Deo cognitiones, quarum una super aliam reflectat in infinitum.

IV. Verum in Deo reperitur conceptus habitus.

Quod secundum: utrum nimirum dici possit, in Deo reperiri conceptum habitus. Quidam, cum in Deo sit summa intelligendi facilitas, hoc nomine aiunt in illo reperiri conceptum habitus, cu-

jus unum munus est facilitare ad actum. Sed contra: etiam oculus summâ facilitate videt, & reliqui sensus objecta sua facillimè percipiunt, & tamen nullus propterea in iis statuit conceptum habitus. Cum ergo conceptus habitus sit, non facilitare utrunque, sed addere facilitatem potentie, quæ ex se illam semper non habet, quique sit per modum complementi ejusdem & adminiculo talis virtutis seu potentie; clarum videtur, in Deo reperiri habitum non posse, utpote qui ejusmodi adminiculo non indiget, ac proinde non sine imperfectione hic ei tribui conceptus potest.

V. In Deo nihil est nisi supernaturale.

Dices: saltem non est cur habitus supernaturalis in Deo non reperitur; hic enim non facilitat, sed dat simpliciter posse. Sed contra: nihil enim Deo supernaturale in illo reperiri potest, sed quidquid habet Deus est ipsi maxime connaturale.

VI. Sitne in Deo species intelligibilis.

Quoad tertium: Utrum scilicet in Deo detur species impressa, seu intelligibilis, non est omnibus perinde certum. Quidam namque ita speciem intelligibilem à Deo excludunt, ut nullum plane illius munus in eo reperiri asserant.

VII. Aliquis conceptus speciei intelligibilis reperitur in Deo.

Existimo tamen cum P. Granada Disp. primâ de Scientia Dei, num. 9. P. Alarcon, & aliis, dari aliquo modo in Deo speciem intelligibilem: quod etiam variis locis asserit S. Thomas, ut hic, q. 14. a. 2. & 4. Hæc tamen intelligenda sunt, non secundum adæquatam munus speciei, sed inadæquatam: unum quippe munus speciei impressæ est, physice simul cum potentia coëfficere visionem, seu intellectio[n]em; hoc autem munus certum est non reperiri in entitate Dei, respectu intellectio[n]is essentialis, cum hæc sit essentialiter improducta. Hoc ergo solum sensu dicimus, essentiam Dei esse speciem, quatenus determinat intellectum divinum ad intellectio[n]em seu repræsentationem objecti, quod est unum munus speciei.

VIII. Quo pacto Essentia Divina sit species respectu cognitionis sui.

Dices: munus speciei est, non quomodocunque potentiam seu principium intelligendi determinare, sed loco objecti: hic autem istud contingere non potest, cum objectum semper sit præsens intellectui, & potens eum determinare; quid enim magis alicui præsens, quam idem sibi: ergo Essentia Divina nullo modo est species intelligibilis. Respondeo, hoc ad summum probare, Essentiam Divinam non esse speciem ad cognitionem sui, at saltem esse poterit respectu creaturarum, præsertim si illas Deus cognoscat in seipsis. de quo postea. Imò aliquo modo etiam, saltem inadæquate, potest esse species Essentia Divina respectu cognitionis sui: licet enim nec suppleat vices alicujus, nec concurrat ad efficiendam sui cognitionem, quæ sunt duo munera speciei; adhuc tamen determinat intellectum ad repræsentationem sui, quod est unum munus speciei.

IX. Substantia Angeli est aliquo modo species ad sui repræsentationem.

Unde, ut notat Granada citatus, etiam substantia Angeli, quando concurrat ad cognitionem sui, gerit hæc in parte rationem speciei intelligibilis, licet in omnibus non quadret ei conceptus speciei: esto enim determinet intellectum, & coëfficiat cognitionem illam, non tamen supplet absentiam aut vicem objecti, cum sit ipsum objectum. Fateor tamen, conceptum speciei non nisi lato quodam modo, & improprie Deo tribui posse.



SECTIO TERTIA.

Quo modo Deus cognoscat se, & creaturas.

I. Certum est, Deum cognoscere seipsum.

CIRCA primum: quæ in fine sectionis primæ, & initio secundæ diximus, probant Deum cognoscere seipsum: Deus enim, quemadmodum ibidem declaravi, absque omni dubio, est objectum primarium Scientiæ Divinæ, utpote objectum omnium nobilissimum, & maxime intelligibile: imò, ut docet S. Thomas hic, q. 26. in hoc sita est Dei beatitudo; neque enim foret beatus quantumcumque cætera omnia sciret, si se nesciret.

II. Sine hac cognitio Dei respectu sui ipsius, directæ, an reflexæ.

Hæc autem cognitio Dei, quamvis dici aliquo modo possit reflexa, cum sit objectum sui, magis tamen propriè dicitur directæ, ut notat P. Suarez, & alii, cum omnino idem sit objectum & cognitio, saltem ut formaliter terminatur ad se. Unde, nulla cognitio propriè est reflexa, nisi quæ realiter ab aliâ cognitione distincta, supra illam reflectit.

III. Aureoli sententia est, quodammodo Dei cognitionem ad seipsum terminari.

Quoad secundum, de cognitione Dei ut terminatur ad creaturas, plures occurrunt difficultates examinandæ. Aureolus vult, cognitionem divinam terminari ad ipsam solam Dei Essentiam, & entitatem ejus intrinsicam, ut habeat par sibi objectum: Unde, scientiam Dei nullo modo tendere ait ad creaturas, sed solum ad esse earum ideale, seu substantiam increatam Dei; quæ tamen, inquit, cum creaturas eminenter contineat, quisquis eam videt, videre dicitur creaturas, non formaliter, sed æquivalenter. Adhuc verò, hanc æquivalentem creaturarum cognitionem sufficere ad dirigendum Deum, ut circa eas operetur, nempe ad eas producendas, destruendas, gubernandas &c. atque ad plenè de iis disponendum.

IV. Dicunt alii, Deum creaturas in seipso non cognoscere.

Vasquez hic, d. 60. & alii, planè è contrario affirmant, scientiam creaturarum in Deo ita terminari ad creaturas, ut omnino immediatè ad ipsas feratur in seipsis, & nullo modo eas cognoscat Deus in suâ substantiâ increatâ, vel Attributis, utpote quæ secundum ipsos, nullum dicunt ordinem seu relationem ad creaturas.

V. Tertia sententia est, Deum cognoscere creaturas in seipso tantum.

Suarez verò hic lib. 3. de Attrib. cap. 2. Molina, Valentia, & alii, asserunt Deum non cognoscere creaturas immediatè in seipsis, sed tantum in suâ increatâ substantiâ, non quidem in illâ solâ sistendo, ut volebat Aureolus, sed per illam tanquam medium cognitum, tendendo ad creaturas secundum proprias earum rationes.

VI. Dei Scientia non sistit in solo Deo, sed terminatur ad creaturas.

Dico primò: Scientia Divina non sistit in solâ entitatè increatâ Dei, seu esse ideali creaturarum, sed ulterius fertur ad ipsas creaturas, & eas in substantiâ increatâ Dei, & per eam representat. Ita omnes hodie contrâ Aureolum, quem tamen nonnulli à contraria sententia excusant. Gravissimi etiam Auctores, ut S. Ambrosius, S. Clemens Alexandrinus, Theodoretus & alii hunc errorem tribuunt Aristoteli; in Metaphysica enim de objecto Divinæ Scientiæ disputans, ait Deum seipsum intelligere, de aliis vero rebus, inquit, melius est quædam non scire, quam scire, alioqui intellectus divina non esset quid optimum. Timebat scilicet, ne ex cognitione rerum nonnullarum Scientia Divina videretur. Certè, quoad actus nostros liberos, omnino negasse Deo videtur illorum cognitionem, quòd nimirum eam cum libertate conciliare non poterat; quem sequitur hac in parte Cicero lib. de Fato; de quo proinde appositè ait S. Augustinus

Aristoteles.

lib. 5. de Civit. cap. 9. *Ut homines liberos faceret, fecit sacrilegos, nempe qui Deo scientiam potius adimere voluit, quam hominibus libertatem.*

Veritas autem Conclusionis nostræ constat, tum ex locis Scripturæ superius pro scientia Dei allatis, tum quia sæpe dicitur Deus numerare stellas, capillos capitis &c. quæ significant videre plura ut plura, & consequenter non sistere in esse ideali, seu Creatrice Essentiâ, quæ unica est. Dicitur item Deus contemplari terram, & id genus alia, quæ passim in divinis literis occurrunt, quibus apertè hoc convincitur. Deinde, ut supra vidimus, Deus est creator & gubernator omnium rerum; ergo ita illas debet cognoscere, ut in particulari circa eas variis possit actionibus versari. Nec sufficit, ut vult Aureolus, quòd cognoscat suam Essentiam, quæ est illarum imago, nisi eam cognoscat ut imaginem; hoc autem fieri nequit, nisi ulterius cognitio in ipsas creaturas feratur.

VII.

Variè probatur, increata scientiâ non sistere in intrinsicâ Dei Perfectionibus.

Argumenta quæ contrâ hanc doctrinam opponi possunt, sunt in duplici differentia; vel enim deducuntur ex eo quod sequeretur, Deum cognoscere infinita possibilis actu, omnes partes continui, creaturam omnium perfectissimam, & alia hujusmodi, de quibus latè disputavi in Philosophia, Disp. 46. sect. 3. & septima; vel ex eo quòd sequeretur, Deum mutari, si videat res existentes, aut futuras; jam enim hunc mundum videt, & hanc seriem rerum, si autem alius mundus fuisset futurus, alium vidisset; ergo habuisset aliam scientiam; ergo hinc sequi videtur, mutatum iri Deum, si ipsius scientia non consistat in increata entitatè Dei, sed ulterius tendat ad creaturas. De hac difficultate, quæ una est ex præcipuis totius Theologiæ, dicemus postea.

VIII.

Quoniam pro Aureoli sententia proponi solent argumenta.

SECTIO QUARTA.

An Deus cognoscat creaturas in seipso.

DEO secundò cum S. Thoma hic, q. 14. a. 5. Suarez hic, lib. 3. cap. 2. Molina, & alii communiter, contrâ Vasq. Becanum, & alios nonnullos, Deum cognoscere creaturas in seipso, tanquam in medio cognito. Ratio est quam supra attulimus Disp. 17. quia nimirum Deus dicit ordinem transcendentem ad creaturas: cum ergo eas perfectissimè contineat, non minus propriè in eo videri possunt, quàm quivis effectus in causa creatâ.

I. Deus cognoscit creaturas in seipso, tanquam in medio cognito.

Confirmatur primò: nam, ut supra vidimus Disp. 18. sect. 2. num. 5. & deinceps ex S. Augustino, & aliis Patribus, Sancti & Angeli cognoscere possunt creaturas in Deo, ergo & Deus cognoscere eas poterit in seipso. Confir. secundò: alioqui enim Deus perfectè se non comprehenderet; actus quippe ut sit comprehensivus causæ alicujus, non solum cognoscere debet causam & effectum, seu concomitanter, sed illativè, cognoscendo scilicet effectum in causa, & per causam. Ratio autem est: actus siquidem comprehensivus causæ, perfectiùs eam cognoscere debet, quàm per alios actus cognoscatur: sed hoc non præstat nisi effectus in ea videantur: ergo, &c.

II. Vterius ostenditur, Deum videre creaturas in seipso.

Objicit Vasquez hic, d. 60. cap. 2. num. 7. Si, inquit, Deus cognoscat creaturas in seipso, cognosceret eas maxime in Omnipotentia, utpote earum causâ: sed in hac illas non cognoscit: ergo: Minor probatur, Omnipotentia enim supponit Scientiam, cum illa non agat nisi per intellectum; unde, ideo potest

III. Deus creaturas cognoscit in suâ Omnipotentia.

potest Deus creaturas producere, quia eas cognoscit, non è contrà. Sicut in creatis artifex rem nullam artificiosam potest producere nisi prius mente illam concipiat, & potentia executici representet. Resp. hoc ad summum probare Deum non cognoscere creaturas in solâ suâ Omnipotentia, sed etiam in seipsis; sicut artifex immediate rem in se concipit, & per hanc ejus representationem, potentiam dirigit. Hac verò cognitione creaturarum in seipsis posita, Deus potest eas cognoscere in Omnipotentia, jam per hanc cognitionem regulatâ, & proximè potente eas producere.

IV. Inter Omnipotentia Dei & illius Scientiam, nulla intercedit vera prioritas.

Resp. secundò, nullam hic in re intervenire prioritatem, nec à parte rei magis verum est, potest Deus producere creaturas, quia eas cognoscit, quàm è contrà, cognoscit quia potest producere; cum Scientia & Potentia Dei in re non distinguantur. Sicut in aliis multis propositio causalis non importat prioritatem, sed simultatem, ut paries est albus quia est disgregativus visus; Petrus est homo quia est animal rationale &c. Si autem loquamur de Scientia & Potentia Dei per nostros conceptus inadæquatos distinctis, fundamento ex rebus desumpto, ne sic quidem Omnipotentia est completa, & proximè expedita sine Scientia; nec enim ferri potest in incognitum, cum Omnipotentia vel sit voluntas formaliter, vel illam, ut executioni aliquid mandet, supponat. Sin verò Omnipotentiam separatim sumamus, & in actu quasi primo incompleto, videtur Potentia esse prior ratione, quàm Scientia; hæc enim tantum est quædam applicatio; unde sicut in creatis applicatio physica, seu approximatio supponit id, cui debet rem aliquam applicare, ita & applicatio intentionalis.

V. Quod Omnipotentia regulari possit à Scientia, non arguit hanc esse illâ prioritatem.

Dices, Potentiam pro illo priori esse regulabilem. Resp. hoc vel intelligi de intrinsecâ regulabilitate, & hæc præcedit Scientiam, cum nihil sit aliud quàm ipsa ratio Potentiæ: vel intelligitur de extrinsecâ; hanc autem denominationem accipere potest à Scientia, non quæ sit pro illo priori, sed quæ erit pro aliquo posteriori; nec enim novum est, posse aliquid pro aliquo priori recipere denominationem ab eo, quod vel naturâ, vel etiam tempore sequitur. Sic res creata pro illo priori quo sunt, dicuntur ubicabiles per ubicationem à se pro aliquo posteriori productam; & in omnium sententia, materia prima est informabilis hoc modo à forma, & intellectus cognoscibilis per intellectiorem, quarum illa pro aliquo posteriori educi potest à materia, hæc ab intellectu effici. Diverso itaque modo tribuuntur denominationes regulatæ, informatæ, cognita, quàm regulabilis, informabilis, & cognoscibilis; illæ siquidem necessario involvunt formam actu exillemtem, hæc quocunque modo possibilem, sive pro aliquo etiam posteriori futuram. Circâ hoc argumentum supra etiam quædam dicta sunt Disp. 18. sect. 4. num. 6.

SECTIO QUINTA.

Utrum Deus creaturas in seipsis cognoscat.

I. Prima sententia negat Deum cognoscere creaturas in seipsis.

THOMISTÆ communiter, quos sequitur Molina hic, Disp. unicâ, q. 2. Suarez lib. 3. de Attrib. cap. 2. Valentia, & alii nonnulli aiunt, non terminari Divinam Scientiam ad creaturas in seipsis; seu immediate, sed non alio modo Deum eas cognoscere, quàm in seipso, in quantum scilicet in variis illius Attributis relucet. Sit tamen

Conclusio: Deus non in seipso tantum cognoscit creaturas, sed habet insuper Scientiam ad ipsas creaturas in seipsis directè & immediate terminatam, sine alio modo cognito. Ita Scotus in 1. dist. 35. Faber ibid. Disp. 51. cap. 4. & Scotistæ communiter: Ockamus dist. 35. q. 3. Gabriel ibid. Arrubal Disp. 30. Monæus Disp. 3. cap. 11. Valsq. hic, Disp. 60. cap. 2. Erice, d. 5. cap. 4. Arriaga hic d. 19. sect. 4. num. 22. & alii.

II. Deus immediate creaturas cognoscit in seipsis.

Ratio est: tum quia nulla est in hoc implicancia: tum quia spectat ad intellectum infinite perfectum ut res omnimodo cognoscat, quo cognosci possunt: cum ergo res cognosci possint, non solum in verbo per scientiam beatam, sed per scientiam etiam infusam extra verbum, quam scientiam creaturarum Theologi passim cum S. Thomâ tribuunt animæ Christi, & omnes fatentur Angelos immediate videre creaturas, non debemus hoc negare Deo. Adde, multa objecta esse, quæ non videntur cognosci primò posse in aliquo, Deo intrinsecò, ut conditionatè futura, & alia quædam, de quibus postea.

III. Res à Deo omnimodo cognoscuntur, quo cognosci possunt.

Dices primò, hanc scientiam fore superfluum, cum quicquid Deus cognoscere hoc modo possit, cognoscat etiam in seipso. Negatur tamen fore superfluum: sicut nec secundum Theologos superflua est scientia infusa in Christo, & Beatis, esto per scientiam beatam omnia videant, quæ cognoscunt per infusam. Imò, quod magis urget, præter scientiam experimentalem, ponunt Theologi in Christo de iisdem omnino rebus scientiam acquisitam: ergo similiter Deo omne genus scientiæ concedi potest & debet, quod repugnantiam aut imperfectionem non involvat, hoc enim, ut dixi, decet intellectum omni ex parte, imò infinite, perfectum.

IV. Scientia quæ Deus immediate cognoscit creaturas, non est superflua.

Dices secundò: Creaturæ non possunt esse objectum motuum Scientiæ Divinæ, ergo nec terminativum. Negatur consequentia. disparitas est clara: Scientia quippe essentialis Dei est improducta, ergo nec creaturæ possunt per se immediate illam producere, nec per speciem sui, sive creatam, ut est evidentissimum, sive increatam: Unde Essentia Divina non est species creaturarum, ut supra diximus, prout species dicit efficientiam, sed tantummodo secundum conceptum quendam determinationis: at verò quod creaturæ terminent intellectum divinum, nulla est repugnantia.

V. Creaturæ esse passiva objectum terminativum Scientiæ Divinæ, non tantum motuum.

Dices tertio: nulla debet Deo assignari scientia nisi perfectissima, alioqui & actum obscurum posset ei quis tribuere: sed scientia terminata ad creaturas immediate, non est perfectissima, cum non habeat objectum perfectissimum, ut constat, ergo. Resp. primò: non omnem scientiam Dei debere necessario esse perfectissimam, si loquamur formaliter & præcisivè. Non tamen hinc sequitur, posse in Deo esse actum obscurum, quia non præcisivè tantum sed positivè, & ex modo tenendi involvit imperfectionem. Resp. secundò, in omnem scientiam Dei esse perfectissimam, & simpliciter infinitam, quia non solum terminatur ad Deum, ut postea videbitur.

VII. Scientia imminata ad creaturas, nullam arguit imperfectionem.

Dices quartò: S. Dionysium 7. de Divin. Nominibus asserere, Deum non cognoscere creaturas in ipsis. Resp. non aliud velle S. Dionysium, quàm Deum non ita cognoscere creaturas in ipsis, ut scientiam suam ab eis accipiat, quasi aliquid ab iis discens, seu ita, ut per objecta, vel speciem objectorum creatorum scientia aliqua in Deo fiat, sicut inter creaturas contingit. Quando autem negare videtur esse duplicem in Deo scientiam, aliam

VIII. Non negat S. Dionysius Deum cognoscere creaturas in ipsis.

aliam qua se videat, aliam qua creaturas, solum vult Deum verè & in re nullam habere scientiam creaturarum, quæ etiam realiter non sit scientia Dei, & ad ipsam incretam Essentiam terminetur. Quo etiam modo explicandus est S. Thomas, dum negare videtur Deum videre creaturas in seipsis.

SECTIO SEXTA.

Vtrum Deus cognoscat se in creaturis.

I. Non est necessarium ut illud per quod aliud cognoscitur, sit cognitio semper perfectiss.

RESPONDETUR affirmativè: ita P. Erice hic, d. 4. cap. 2. & alii. Ad probationem notandum, ut aliquid cognoscatur in alio, non esse necessarium ut id per quod cognoscitur aliud, est- que hoc sensu objectum formale respectu illius, sit altero perfectius, aut illud formaliter vel eminenter contineat, cum & effectus cognoscatur in causa, & causa in effectû, ac Deus in quovis actu creato illum representante. Ut ergo unum cognoscatur in alio, sufficit quod habeat necessariam cum illo connexionem, ipso enim factò, quod sit terminus ordinis illius transcendentalis, potest per illud manifestari. Hoc ergo est unum cognosci in alio, nempe ut cognitio directè & immediatè feratur in rem aliquam, & ratione illius cognitæ tendat in aliam, quæ cum illâ essentialiter habet connexionem.

II. Ostenditur, Deum cognoscere se in creaturis.

Probatur itaque Conclusio: creaturæ omnes dicunt ordinem transcendentalem ad Deum, inò aliqur, non generali tantum ratione, effectuum exempli gratiâ, ad causam, sed peculiari modo cum Deo connectuntur, ut actio per quam solus Deus aliquid producit, item visio Dei, & alia hujusmodi, quæ singulari quadam ratione Deum respiciunt; ergo sicut Angeli & Beati possunt in his & aliis Deum cognoscere, ita & Deus in iisdem cognoscere poterit seipsum.

III. Deus videndo relationem transcendentalem quam ad eum dicunt creaturæ, necesse est in eis cognoscit se.

Confirm. Deus, cum videat res sicuti sunt, videt ordinem transcendentalem creaturæ ad Deum ut ordo transcendentalis est: sed implicat ordinem transcendentalem videri ut talem, quin videatur illius terminus: ergo Deus videndo creaturas essentialiter dicentes ejusmodi ordinem ad Deum, necessariò cognoscit se in creaturis. Sicut supra diximus Beatos videntes Omnipotentiam Dei, ut Omnipotentiam, necessariò in illâ cognoscere creaturas. Confir. secundo: nam saltem cognitio comprehensiva alicujus rei cognoscit necessariò illius terminos, cum cognoscere ea debeat, non solum quæ formaliter sunt in re illâ, sed quæ eminenter: sed Deus comprehensivè cognoscit creaturas: ergo. Quod argumentum in his maximè rebus urget quæ peculiariter Deum respiciunt ut causam, objectum &c. quales sunt actio, visio, & alie ejusmodi.

IV. Deum cognoscere se in creaturis, nullam in eo arguit imperfectiorem.

Dices: talis cognitio est imperfecta, ergo Deo non tribuenda. Resp. non esse imperfectam positivè, seu verè & realiter in se continere imperfectiorem, sed ad summum est imperfecta negativè, seu præcisivè, id est, non omnem in se formaliter includens perfectionem: hujusmodi autem imperfectio negativa Deo non repugnat: sic enim scientia qua cognoscit Petrum solum, non est scientia formaliter, qua cognoscit omnia: sicut nec Potentia formaliter, qua potest producere equum, est formaliter potentia qua potest producere Angelum, & tamen neutra arguit ullam in Deo imperfectiorem: argueret quidem, si ita haberet scientiam Petri, ut non haberet, scientiam Pauli, & aliarum rerum, aut potentiam productivam equi, & non Angeli. Quod autem præcisivè in ordine ad conceptus

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

nostros sit vel potentia, vel scientia unius, non alterius, nullam arguit imperfectiorem. Sic etiam in presenti, si Deus ita cognosceret se in creaturis, ut nullam aliam haberet sui scientiam, non esset Deo tribuenda hæc cognitio: cum autem eadem realiter scientia cognoscat Deum etiam in seipso, habet omnem perfectionem possibilem, nec est cur Deum dedecet.

Dei Scientia realiter habet omnem perfectionem possibilem.

Sic Deus videns actum alicujus hominis quod cognoscit multos homines confusè, vel etiam solum Petrum, licet in his actibus non cognoscat nisi solum Petrum, vel multitudinem confusam, simpliciter tamen non potest Deus dici cognoscere solum Petrum, vel habere confusam cognitionem multorum hominum. Quamvis namque per hoc medium cognitio non feratur distinctè in illam multitudinem hominum, nec nisi in Petrum; simpliciter tamen illa cognitio fertur in illam hominum multitudinem distinctissimè in seipsis, & non ad Petrum solum, sed ad omnes omnino homines. Unde absolute falsum est dicere, Scientiam Dei esse cognitionem confusam illorum, aut esse cognitionem solius Petri; hoc enim dicit negationem claritatis, & cognitionis reliquorum.

V. Deus multitudinem confusam non cognoscit confusè.

Dei cognitio cujuscunque rei est distinctissima.

Unde absolute falsum est dicere, Scientiam Dei esse cognitionem confusam illorum, aut esse cognitionem solius Petri; hoc enim dicit negationem claritatis, & cognitionis reliquorum.

Dices secundo, sequi, Deum cognoscere se probabiliter & obscure: ponamus enim actum aliquem probabilem elicitem ab homine de Deo, qua dicat, Deus est, est Omnipotens, Trinus & Unus, &c. Deus secundum nos, cum videat hunc actum comprehensivè, videt objectum hujus actus, & consequenter se in eo probabiliter, cum actus sit solum probabilis, ut supponimus. Resp. Deum evidentissimè scire, hunc actum representare Deum probabiliter, seu essentiam illius esse ut representet Deum, & probabiliter assermet eum esse; hoc autem potest evidenter sciri, cum essentia cujusque rei sciri possit: sicut enim Deus verissimè novit actum falsum, & tamen inde non errat; ita clarè novit actum obscurum esse obscurum, & actum probabilem certissimè scit esse probabilem. Unde in Scientiâ Divinâ nulla est incertitudo, nec obscuritas, sed summa certitudo & claritas.

VI. Deus nihil cognoscit probabiliter aut obscure.

Dices tertio: Sequi, Deum cognoscere se præcisivè: si enim se cognoscat in creaturis, solum cognoscit se in quantum relucet in creaturis: sed in creaturis non relucet Trinus, sed tantum Unus; Deus enim non operatur ad extra ut Trinus, sed tantum ut Unus: ergo. Resp. Licet præcisè cognitio divina, quam de se habet Deus in quantum relucet in creaturâ, tanquam terminus ordinis transcendentalis, quem ad Deum dicunt res creatæ, non sit cognitio Dei ut Trini, nulla tamen in hoc est imperfectio, nec limitatio, quia realiter loquendo, eadem scientia Dei est cognitio, & clarissima representatio Trinitatis: sicut licet cognitio ut terminata ad Petrum, non sit cognitio Pauli, nulla tamen in hoc est imperfectio & limitatio, cum realiter loquendo, eadem cognitio extendatur ad Paulum & res alias, ut latius dictum est numero quarto.

VII. Dicitur sine incommodo possit, Deum cognoscere se præcisivè.

Dices quarto: Hinc sequi, Scientiam Dei esse abstractivam. Respondetur: si per scientiam abstractivam intelligatur pure abstractiva, seu quæ non sit simul realiter intuitiva; hanc scientiam non esse abstractivam. Sin verò per abstractivam intelligatur tantum cognitio mediata: inprimis dico, hanc scientiam esse realiter intuitivam creaturarum, & abstractivam respectu Dei. Deinde, scientia Dei etiam respectu ipsius Dei, est simul abstractiva & intuitiva; abstractiva, prout cognoscit se Deus in creaturis; & intuitiva respectu ejusdem Dei, prout cognoscit se immediatè in seipso.

VIII. Possitne scientia Divina dici abstractiva.

K

Hinc

IX.

Hinc apertè constat, cur actus aliquis esse simul possit intuitivus, & abstractivus, non tamen clarus & obscurus, aut etiam certus & incertus: obscurus enim & incertus in conceptu suo intrinseco dicuntur negationem claritatis & certitudinis; obscurus quippe, ut Disputatione 50. Logicæ, sect. 5. ostendi, dicit negationem claritatis; est enim obscuritas exigua lux cum negatione majoris; & idem est de incertitudine, quæ similiter omnem certitudinem excludit.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrum Deus cognoscat se ex creaturis.

I. Quid sit, utrius cognoscat ex alio.

RECOLENDUM id quod supra Disp. 18. sect. 2. observavi; nempe, quid sit unum cognosci ex alio: quod licet aliqui ita explicent, ut actu quo unum cognoscitur ex alio, dicat Deus: *Angelus habet ordinem transcendentalem ad me, ergo ego existo*; in quo actu, quamvis unico & indivisibili, includitur illatio formalis; alii nihilominus actum, quo unum cognoscitur ex alio, huiusmodi esse volunt; quasi dicat Deus: *Quia Angelus habet relationem transcendentalem ad me, ego existo*: qui actus, ut constat, est virtualiter discursivus.

II. Non omnis cognitio Dei debet ratione nostrâ esse semper perfectissima.

P. Arriaga hic, Disp. 18. sect. 4. num. 39. negat posse Deum se ex creaturis cognoscere. Ratio ejus est primò: *ex creaturis enim, inquit, non potest Deus perfectè cognosci, nulla autem imperfecta cognitio est in Deo statuenda. Sed contra: nam ipse ibidem Sect. 3. admittit, Deum se in creaturis cognoscere, & tamen hæc cognitio de Deo non est omnium perfectissima; perfectior enim ratione nostrâ est cognitio illa, quam Deus directè habet de seipso, utpote immediata, & intuitiva Dei, non abstractiva, qualem ibidem num. 3. affirmat ipse esse cognitionem illam, quam Deus de seipso habet in creaturis.*

III. Sicut cognitio Dei in alio, ita cognitio ejus ex alio non arguit imperfectionem.

Sicut ergo hic ab ipso, & ab omnibus, qui Deum in creaturis cognosci posse affirmant, respondetur, cognitionem illam sui, quam Deus habet in creaturis, esto non habeat formaliter omnem perfectionem possibilem, non tamen esse imperfectam positivè, sed tantum præcisivè, quia nimirum eadem cognitio realiter identificatur cum cognitione intuitivâ, quam Deus immediatè habet de seipso, idem dici potest de cognitione Dei ex creaturis. Sicut omnes dicunt cognitionem, quam Deus habet Petri in actu creato, solum Petrum representante, quamvis formaliter, ex vi hujus modii, ad solum Petrum terminetur, non tamen positivè, sed præcisivè tantum esse imperfectam, id est, ut sic formaliter non continere omnem perfectionem possibilem. Ut tamen non sit imperfecta positivè, sufficere aiunt, quòd à parte rei identificetur cum cognitione rerum omnium, qualis, realiter loquendo, est omnis cognitio Dei.

IV. Ostenditur, si possit Deus cognosci in creaturis, posse eum etiam cognosci ex creaturis.

Respondet num. quadragesimo, disparitatem esse; dum enim, inquit, cognoscitur Deus in creaturis, cognoscitur perfectè objectum primum illius actus, nempe creaturæ: at verò in cognitione Dei ex creaturis, objectum formale intrinsecum, & proprium illius actus est Deus, sicque objectum intrinsecum primum cognoscitur imperfectè. Contra: si objectum aliquod minus perfectè cognitum, arguat imperfectionem in actu, perinde est sive sit objectum formale, sive materiale; utrumque enim æqualiter refundit imperfectionem

in cognitionem. Re tamen verâ, nec unum nec alterum arguit imperfectionem in cognitione Dei, quæ, licet præcisivè, seu quantum ad hoc medium, non representet Deum modo præstantissimo, nec habeat omnem perfectionem possibilem, realiter tamen identificatam secum habet cognitionem, quæ Deum perfectissimè cognoscit.

Arguit secundò ibidem, num. 42. Huiusmodi scientia qua Deus se cognosceret ex creaturis, esset omnino otiosa, cum enim se immediatè in seipso cognoscat, modòque perfectissimo, cui bono alia in eo statuitur scientia, quæ sibi multò minus perfectè denuo innotescit? Contra primò: cur ergo præter perfectissimam illam scientiam, quæ se immediatè & comprehensivè Deus cognoscit in seipso, tribuit ipse Deo aliam imperfectiorem, quæ se abstractivè cognoscit in creaturis. Certè si citra superfluitatem detur Deo scientia sui in creaturis, ægrè ostendetur scientiam quam sibi habet ex creaturis, esse superfluum. Contra secundò: in Christo, & Beatis statuunt Theologi Scientiam etiam infusam, quamvis nihil per eam cognoscant, quod non cognoscunt per scientiam beatam. Idem est de scientia acquisitâ, & experimentalis in Anima Christi. Ratio ergo, cur hæc scientia, quæ se Deus cognoscit ex creaturis, non sit superflua, est, quia intellectum perfectissimum decet omnino cognitio, quæ imperfectionem in se non involvit.

V. Scientia qua Deus se cognosceret ex creaturis, nec otiosa esset, nec superflua.

Arguit terciò: Si Deus rem aliquam ex medio imperfectiore scire posset, ejus cognitio errori foret obnoxia: ex actu namque probabili, quo dicit quispiam, *Petrus currit*, Petro tamen non currente, ex illo, inquam, actu cognitio oriatur in Deo hic actus, *Petrus currit*, qui tamen est falsus. Sed contra: idem enim argumentum fieri posset de cognitione in creaturis, quam tamen Deo tribuit P. Arriaga. Contra secundò: saltem Angelus, aut Beatus potest aliquid ex medio imperfectiore cognoscere, non tamen propterea vel hic vel ille fallitatis, aut erroris periculum incurrit.

VI. Ex cognitione rei alia sua ex medio imperfectiore, cognitio Divina non est erroris obnoxia.

Respondetur itaque, quantumvis Deus vel in medio imperfectiore, vel ex illo rem aliquam cognoscat, cognitionem ejus nihilominus nullo modo esse fallitati obnoxiam: cum enim per scientiam, vel immediatam rerum omnium in ipsis, vel quam illarum habet in seipso, perfectissimè sciat Deus, quo pacto se habeat unumquodque objectum creatum, ab hac regulatur omnis alia inferior, ratione nostrâ, cognitio. Cum ergo per scientiam illam perfectissimam sciat Petrum non currere, implicat ut ex vi illius mediæ judicet ipsum currere, quantumvis Petrum tunc, & ejus cursum occasione illius actus representet: alioqui haberet pugnantia judicicia, & assensum præberet contradictorius. Sicut dum Solis radios inspicimus scio eum lucere, quantumcumque dicat mihi quispiam solem non lucere, licet ex vi illius locutionis solem, & negationem lucis ab eo productæ concipiam, judicare tamen nequeo, cum tunc non lucere.

VII. Ostenditur, Divinam cognitionem non esse obnoxiam falsitati.

A Scientia, quam Deus habet rem in seipso, regulatur alia ipsius cognitio.

Argumentantur alii quartò: Si Deus possit se ex creaturis cognoscere, daretur in eo discursus virtualis. Concedo totum: sect. enim sequente ostendam, nihil in hoc esse incommodi, & discursum virtualem posse in Deo reperiri.

VIII. Discursus virtualis non est illa, qua minus Deus se cognoscat ex creaturis.

SECTIO OCTAVA.

Inquiruntur quadam circa Scientiam Dei. Vbi, an Deus cognoscat negationes, privationes, & Entia rationis.

I. Sine in Deo simplex apprehensio.

Quares primò: Utrum in Deo sit simplex apprehensio? P. Hurtado Disp. 7. de Anima, sect. 1. num. 8. absolute negat: quæ etiam sententia frequens est inter recentiores. Distinguentur tamen existimo cum P. Suarez, disp. 30. Metaphisicè, sect. 15. num. 39. Erice d. 4. c. 2. n. 18. sine, & aliis: vel enim per simplicem apprehensionem intelligitur representatio alicujus rei; & hoc sensu non est cur Deo negetur apprehensio, cum in omni judicio reperitur hujusmodi representatio; actus siquidem qui dicit, Sol est lucidus, ignis est calidus, &c. Solem, & lucem, ignem, & calorem necessariò representat, cum intentionaliter unum tribuat alteri, & illa inter se objectivè uniat: unde & mente præcindere in Deo possumus hujusmodi apprehensionem à judicio, non tamen è contrà. Si verò per simplicem apprehensionem intelligatur actus aliquis à parte rei distinctus à judicio, & qui non solum ab eo præcindat, sed positivè etiam illud excludat, realiterque ad illud disponat, certum est, simplicem apprehensionem in Deo reperiri non posse.

Duobus modis sumitur simplex apprehensio.

II. Utrum Scientia Divina dici possit discursiva.

Quares secundò: Utrum in Deo sit discursus. Non esse in Deo formalem discursum, certum omnino est, cum discursus formalis includat necessariò plures actus; dicitur enim discursus quasi mentalis quidam cursus ab unâ re ad aliam. De virtuali autem discursu non est perinde apud omnes certum, in Deo reperiri cum non posse. Imò multi ex recentioribus illum Deo tribuunt, ex iis præsertim qui actus liberos ponunt adæquatè Deo intuitivos. Quod facilius adhuc admitti potest, si per virtualem discursum intelligatur actus hujusmodi quo Deus dicat, Deus est, quia creatura habet ordinem transcendentem ad Deum; hic enim actus ex modo tendendi æquivaleret his duobus; Creatura dicit ordinem transcendentem ad Deum, ergo Deus est. Et hic modus loquendi ut sectione præcedente vidimus, dicitur cognitio unius ex alio. Quo pacto autem differant, unum cognosci ex alio & in alio, dictum est supra, Disp. 18. sect. secundâ.

III. An, & quomodo Deus cognoscat negationes, & privationes.

Quares tertio: Utrum Deus cognoscat non solum res positivas, sed etiam negationes, & privationes? Resp. affirmativè cum communi sententia. Deus enim omnia, seu positiva, seu negativa cognoscit sicuti sunt, & proprium eorum conceptum format. Cum itaque, ut fuse probavi Disp. 18. Logica, dentur hujusmodi negationes à rebus positivis distinctæ, potest Divina Scientia ad eas, etiam immediatè terminari.

IV. Utrum latius patet quam Ens.

Unde verum, seu cognoscibile, si latissimè sumatur, latius patet quam Ens, & vocari solet prædicatum supertranscendens. Cum tamen esse negationis sit esse omnino imperfectissimum, esto divinitus fortè cognosci possit sine formâ oppositâ, de lege tamen ordinariâ vix videtur fieri posse. Deus autem, qui perfectissimè negationes & privationes novit, nunquam eas cognoscit sine formis oppositis.

V. Hoc sensu dixisse videtur S. Dionysium cap. 7. de Divin. Nominibus, Deum non aliunde, quam ex R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. 4.

lucē tenebras nosse. Quo etiam sensu sumendus est S. Thomas, dum negare videtur Deum cognoscere negationes. Quando verò Aristoteles I. Posteriorum c. 2. dixit: Quod non est, non scitur; solum vult, ei quod falsum est, assensum scientificum præberi non posse; erraret siquidem quisquis id præstaret. Unde alio modo res illa sciri non potest, quam quòd sit falsa: hæc autem est scire non ita eam se habere, sicut per propositionem enunciatur.

VI. Quæ ratione Deus cognoscat entia rationis.

Quares quartò: Utrum Deus cognoscat etiam entia rationis? Respondeo similiter affirmativè cum communi, contra Vasquez I. part. disp. 118. c. 4. & nonnullos recentiores. Deus verò illa cognoscit, & in actu creato, objecta hujusmodi Chimærica representante, cum actum illum comprehendat, & consequenter ad ejus terminum illius cognitio necessariò extendatur. Deinde, immediatè ad entia impossibilia fertur Dei Scientia: hæc enim est veritas objectiva, Chimæra est impossibilis, ergo Deus immediatè & directè scire potest hanc veritatem, cum omnia cognoscat eo modo quo cognoscibilia sunt; hæc autem sunt cognoscibilia, cum ab intellectu creato cognoscantur.

VII. Dices: hinc sequi, Deum cognoscere objecta aliter quam sint.

Dices primò: Si Deus cognoscat entia rationis in actu creato, cum hic ea representet ad modum rerum possibilium, sequeretur, Deum illa aliter quam sunt cognoscere. Imò idem dici debere videtur de aliis rebus: Si enim Deus cognoscat objecta nostrorum actuum, & nos cognoscimus res spirituales instar corporearum, negationes instar rerum positivarum, Deum instar creaturarum, ut Patrem æternum instar senis, Spiritum Sanctum instar columbæ, &c. sequeretur, Deum etiam isthæc omnia hoc modo scire, & se cognoscere instar senis, &c.

VIII. Ostenditur, Deum res aliter quam sint, non cognoscere.

Resp. quidquid aliqui volunt, non videri negari posse quæ Deus, viso actu nostro, id totum videat, quod ei respondet ex parte objecti: Unde si nos concipiamus rem spiritualem ut vestitam quasi formis quibusdam corporeis, extensionis, coloris, lucis, &c. Deus etiam eandem rem ut his omnibus circumstantiis vestitam in actu nostro, representat: non tamen dicitur cognoscere rem aliter quam est, aut instar corporis, quia non sicut ibi divina cognitio sicut nostra, sed rem ipsam perfectissimè penetrat, clarèque videt in se, & sicuti est.

IX. Dicitur posse Deum, non solum cognoscere, sed etiam facere entia rationis.

Dices secundò: Si Deus cognoscat entia rationis, ergo & ea facit. Qui cum P. Hurtado & aliis nonnullis dicunt, entia rationis non fieri per apprehensionem, sed per solum judicium, facile se ab hac difficultate expediunt; sed sententia illa non placet, tum ob alias rationes, quibus eam in Logica impugnavi, tum quia videtur contra communem conceptum omnium, qui passim dicunt, posse quemvis prohibito fingere & formare Entia rationis; in hac autem sententiâ, non posset quis quando vult, facere aliquid Ens Chimæricum rationis, imò non potest velle facere, nec unquam facit nisi nolens, quod tamen videtur inauditum.

X. Probabilius est Deum non facere Entia rationis.

Respondeo ergo, vel Deum cognoscere ens rationis in actu creato de eo elicito: tunc autem non illud facit, sed jam factum cognoscit: vel concipere illud immediatè in se, & tunc, vel cum Henrico, Ægidio Lusitano, Fonseca, Gillio lib. 2. Tract. 6. c. 13. n. 5. Arrubal disp. 34. c. 7. Arriaga hic, d. 19. n. 42. & aliis, concedi potest Deum etiam facere Entia rationis: vel cum P. Suarez disp. 54. Met. l. 2. n. 19. & hic l. 3. c. Erice disp. 8. Hurtado disp. 19. Metaph. sect. 2. negari, quod videtur probabilius: de quo plura dixi in Dialecticâ.



## SECTIO NONA.

Quaedam Divinae Scientiae proprietates  
declarantur.

**I.** PRIMA ejus proprietas est, *Certitudo*, qualis in Divina Scientia invenitur, quae cogitari potest maxima, utpote quae talis est ex modo tendendi, ut ei repugnet falsitas. Sic Sap. 7. v. 22. de Deo dicitur: *Spiritus intelligentia certus*; Ratio autem est manifesta: una enim ex praecipuis Scientiae proprietatibus est certitudo; cum ergo Dei Scientia sit omnino perfectissima, hanc imprimis in se proprietatem contineat necesse est.

**II.** Secunda Scientiae Divinae proprietas est, *Claritas*: Deus enim perspicacissimo, ut ita dicam, oculo cuncta intuetur, ac lustrat, maximeque dilucide discernit, nec quidquam tam abditum, tam remotum est & latens, quod ei apertum non sit, ac pervium. Hinc Ecclesiastici 23. v. 28. dicitur: *Oculi Domini multo lucidiores sunt super Solem*, &c. & ad Hebraeos 4. v. 13. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus*. Hinc etiam Verbum Divinum, seu Sapientia Patris, *LMX* appellatur, quod scilicet clarissima sit, evidentissimaque rerum omnium notitia. Aequali vero claritate, summa juxta & infima penetrat, nec minus perfecte formicam, quam Angelum cognoscit, objectorumque differentia nullam, quoad claritatem praesertim & evidentiam, in ejus cognitionem refundit discrepantiam.

**III.** Tertiò, Divina Scientia est *Judicium*: nec enim simplici tantum modo repraesentat & concipit Deus objecta, nihil de iis asserendo, vel negando, sed firmissimè statuit, & affirmat res ita se habere, vel non habere, absolutèque apud se de singulis pronunciat: alioqui, contra supra dicta, non esset Deus de re ullà certus: per simplicem quippe apprehensionem anceps quis haeret, & ambiguus, in quam se partem inflectat, dubius.

**IV.** Quarto: Scientia Divina est realiter *Simplex*, & compositionis expert: res enim omnes Deus unico, & indivisibili intuitu perfectissimè penetrat, plenissimèque comprehendit. Hoc pronunciatum fusè probatum est totà Disputatione quintà, ubi de simplicitate Dei ex proposito est disputatum. Discursus tamen virtualis purissimè huic perfectissimèque Dei simplicitati non officit, quem proinde in Deo sine incommodo admitti posse ostendi Sect. praecedente, num. secundo.

**V.** Quintò: Scientia Dei est *Invariabilis*, quodque hodie, vel hoc momento cognoscit, novit ab aeterno, & in aeternum immutabiliter cognoscet. Sicut enim ut *primus Motor* omnia movet immotus, ita *primum*, ut ita dicam, *Intelligens* non se tantum (in quantum scilicet est *primum Intelligibile*) sed res etiam omnes creatas, quantumcumque fluxas, longèque sibi ordine succedentes, cognoscit immobiliter. Quod quo pacto contingat, dicitur infra.

**VI.** Sextò: Scientia Dei est summè *Necessaria*, nec ullà potest ratione intermitti, non solum circa objectum suum primarium, seu Deum ipsum, sed neque circa secundaria, videlicet creaturas. Ratio est: tum quia magna intellectus perfectio est, actuale semper rerum omnium habere notitiam: tum quia Scientia Dei est ipsa increata illius entitas: unde sicut est *Esse*, ita etiam est *Intelligere*, per Essentiam: nec magis carere uno potest, quam alio.

Est ergo Scientia Divina planè perfectissima, & numeris omnibus absoluta. Si enim objectum spectes, est illud omnino nobilissimum, nempe Deus: si modum essendi, est substantialis, & ipsa Dei entitas; si rationem tendendi, & attingendi objectum, est certa, clara, comprehensiva, actualissima, omnes denique quae cogitari possunt scientiae in se perfectiones complectens.

Quæres, utrum Scientia, quam de se habet Deus, dici possit scientia *Quia*, an *Propter quid*? Certum est, non esse scientiam *Propter quid*: hæc enim procedit per causam, Deus autem causam sui non habet. Cum verò, ut supra vidimus, Deus se in & ex creaturis cognoscat, tanquam effectibus à se producibilibus, aut productis, cognitio quam ex creaturis habet sui Deus, videtur scientia *Quia* dici aliquo modo posse.

## SECTIO DECIMA.

## Divisiones variae Divinae Scientiae.

**V**T faciliora quaedam, quæque minis hac in parte videntur momenti, omittam, quales sunt divisiones illae, quae merè denominationem sumunt ab objecto, ut est divisio in Scientiam de Deo & creaturis; item in naturalem & supernaturalem, seu de objecto naturali & supernaturali; nulla enim scientia est Deo supernaturalis, utpote cui, ut saepe dixi, nihil esse potest supernaturale, sed cuncta, quantumvis alta & sublimia, ac supra naturæ omnia creata vires, ei sunt connaturalissima. Hæc, inquam, ut omittam,

Dividitur primò Scientia Divina in Scientiam *Approbationis* & *Simplicis notitiae*: de qua divisione latè Suarez citatus lib. tertio, cap. 4. Scientia ergo Approbationis, in quantum est scientia, non videtur differre à scientia Visionis, sed solum superaddit actum voluntatis, per quem Deus objectum, quod jam videt productum, approbat seu in eo complacet juxta illud Gen. 1. *Vide Deus cuncta que fecerat, & erant valde bona*. Unde, ut optimè notat Suarez lib. illo 3. c. 4. n. 11. Deus hac scientiâ non novit malum, juxta illud Habacuc 1. v. 13. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum*. In quem locum ait S. Hieronymus, propterea dici Deum ignorare malum, quia non libenter videt illud; sicut de Saule in Scripturâ dicitur, cum non rectis oculis aspexisset Davidem, quia nimirum illum oderat.

Scientiam verò Approbationis hoc modo sumendam esse constat: quod enim Deus verè videat & cognoscat mala, constat ex mille Scripturæ locis: Psalmo enim 68. dicit Propheta: *Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita*. Item Gen. 6. *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, &c.* Tandem Proverb. 15. sic habetur, *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos*.

Ex his ergo apertè deducitur, aliam esse scientiam *Simplicis notitiae* in Deo, aliam Approbationis: unde & alia scientia poni posse videtur in Deo respectu mali, quæ vocari posset *Scientia Reprobationis*, vel displicentiæ, sicut scientia Approbationis respectu boni.

Secunda Divinae Scientiae divisio est in *Scientiam*, & *Praesentiam*. Cognitio illa vocatur *Praesentia*, quæ quovis modo antecedit objectum, sive naturâ, sive tempore, sive etiam ratione. *Scientia* è contra, prout hic sumitur, est illa cognitio, quæ objectum suum nullo ex his modis antecedit, sed vel comitatur, ut cum Scientia Divina se cognoscit, vel aliquâ ratione

VII.  
Scientia Dei  
est omni ex  
parte per-  
fectissima.

VIII.  
Sine Scien-  
tia Dei,  
Quia, an  
Propter  
quid.

I.  
Facilius  
quædam  
Scientiae di-  
visiones.

II.  
Scientia ap-  
probationis  
& Simplicis  
notitiae.

Quo sensu  
Deus non  
cognoscit  
malum.

III.  
Quo etiam  
sensu malum  
cognoscit.

IV.  
Scientia de  
reprobationis.

V.  
Quæ cogno-  
scit in Deo  
sive Scientia,  
quæ Prae-  
sentia.

ratione subsequitur: quamvis in hoc casu, sicut cognitio quæ objectum antecedit, *Præscientia*, ita quæ sequitur, si vim vocis spectemus, *Postscientia* non incongruè dici possit.

VI. Eadem cognitio esse potest Scientia, & Præscientia.

Hinc infero primò, posse eandem cognitionem sub diversâ ratione esse simul *Scientiam* & *Præscientiam*, etiam respectu ejusdem objecti. Sic Scientia visionis, quam Deus habet rerum creaturarum, est tempore *Præscientia*, quia tempore eas antecessit, naturâ verò est merè *Scientia*, quia hoc modo illas non præcedit, sed potiùs sequitur: Scientia quippe visionis objectum suum supponit, ut postea dicitur.

VII. Respectu rei ab æterno creatæ, Scientia Visionis non est Præscientia.

Si verò Deus rem aliquam, Angelum exempli gr. ut potuit, ab æterno creasset, scientia visionis, respectu illius, non fuisset ullo modo *Præscientia*; nec enim tempore illum antecessisset, cum Angelus ille fuisset ab æterno; nec naturâ; Scientia enim visionis, ut proximè dictum est, naturâ non præcedit res existentes, sed subsequitur. Scientia tamen Simplicis Intelligentiæ respectu illius Angeli ab æterno creati, quamvis tempore, ut ita dicam, esset *Scientia*, naturâ tamen esset *Præscientia*, quia hæc cognitio, utpote causa rerum, naturâ eas omnes antecedit.

VIII. Præscientia fieri interdum potest Scientia.

Addo ulteriùs: posse *Præscientiam* aliquam fieri interdum *Scientiam*. Sic scientia visionis Dei respectu Adami erat ab æterno *Præscientia*, quia cum præcessit: producto verò Adamo, habuit denominationem *Scientia*; tunc enim cognitio illa Dei coexistebat Adamo, & modò cum tempore subsequitur; unde hoc sensu est modò denominativè *Scientia*: quamvis omnis Dei cognitio in se intrinsecè & realiter semper maneat immutata: quod quo pacto fiat, dicitur infra, sectione decimaquinta.

IX. Divisio Divina Scientia in Artem & Prudentiam.

Tertiò, Divina Scientia dividitur in *Artem* & *Prudentiam*. *Prudentia* actus Dei internos respicit, quos antecedit ac dirigit; Divina siquidem voluntas ferri nequit in incognitum, alioqui caco modo ac temerè, & quasi in incertum tenderet; quod quis non videt Deo esse indignissimum, qui nihil nisi sapientissimè, sicque ex directione prudentiæ, velle potest. De quo proinde ad Ephes. I. v. 11. dicitur, *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.*

X. Quo sensu Divina Scientia Arts vocatur.

Divina verò Scientia *Arts* appellationem sortitur in ordine ad operationes externas; quo etiam sensu factiva dicitur, universumque, ac res singulas in eo existentes producit. Sic Sap. 7. v. 21. divina Sapientia vocatur *Omnium artifex*; & cap. 8. v. 6. de eadem dicitur: *Quis illorum quæ sunt, magis quam illa, est artifex?* Unde & sancti Patres passim affirmant, in minutissimis quibusque creaturis, formicâ scilicet; vel apiculâ, summi artificis peritiam maximopere elucere.

SECTIO UNDECIMA.

De Scientiâ simplicis Intelligentiæ, Visionis, & Mediâ.

I. Quid sit Scientia Simplicis Intelligentiæ, & Visionis.

QUARTA divisio Scientiæ Divinæ est celebris illa in Scientiam Simplicis Intelligentiæ, & visionis: de qua divisione latè disputant Molina hæc, a. 4. Suarez lib. 3. de Attributis, cap. 4. Vasq. I. p. 9. 14. a. 8. Alarcon hæc, Disp. 5. d. 1. & alii: eamque expressè tradit S. Thomas hæc, q. 14. a. 9. & I. cont. Gent. cap. 66. & alibi. *Scientia Simplicis*

Ex P. Compton Theol. Scholast. Tom. I.

*intelligentiæ* est, qua Deus res possibles (vel etiam impossibiles) cognoscit. *Scientia autem visionis* illa dicitur, quâ Deus novit res pro aliqua temporis differentiâ existentes. Hanc S. Thomæ divisionem Theologi omnes, uno vel altero excepto, amplectuntur.

Hæc tamen divisio non est ita accipienda, ut Deus res futuras, seu pro aliqua temporis differentiâ existentes non cognoscat etiam Scientiâ *Simplicis Intelligentiæ*; nam pro illo priori, antequam Deus decrevit illas producere, erant cognoscibiles, ergo pro illo priori Deus illas novit, cum necessariò cognoscat omne cognoscibile. Conf. pro illo priori Deus discernbat res illas ab impossibilibus, & has judicabat esse possibles, has impossibiles, ergo illas cognoscebat. Conf. secundo: pro illo priori nihil habuit alius mundus possibilis, per quod fuit cognoscibilis, quod non habuit iste, ergo hic pro illo priori cognosci potuit, quo potuit alter, ergo Deus cum cognovit.

II. Res etiam existentes cognoscit Deus Scientiâ Simplicis intelligentiæ.

Conf. tertio: Deus decreto suo libero voluit hunc mundum & hæc seriem rerum producere, non aliam, ergo hæc seriem pro illo priori ad decretum cognovit, cum voluntas Dei ferri nequeat in incognitum; sed pro illo priori non cognovit eam Scientiâ visionis, cum hæc sequatur decretum de futuritione rei, ergo per Scientiam Simplicis Intelligentiæ. Conf. quarto: Deus enim, quam semel habuit scientiam, nunquam amittit; sed semel habuit scientiam simplicis intelligentiæ circa hæc objecta, ut ostensum est, ergo. Quòd si quis dicat, scientiam Dei, ut sit simplicis intelligentiæ, requirere, ut res nullam omnino habeat existentiam, ne pro aliquo quidem posteriori, totam controverfiam reduxerit ad questionem de nomine.

III. Vltimus ostenditur Deum scientiâ simplicis intelligentiæ cognoscere res existentes.

Thomistæ quidam omni modo contendunt, Auctores nostros mediam quandam scientiam inter scientiam visionis & simplicis intelligentiæ, contra S. Thomam, & communem Theologorum sententiam, in Scholas invexisse: ita Alvarez & alii nonnulli: sed nullum ex nostris proferre potuit Alvarez, qui hoc docuerit: Molina enim, in quem præcipuè hoc nomine invehitur, hæc, a. 9. & a. 13. d. 17. expressè docet, hæc divisionem esse adæquatam, & objecta omnia complecti: idem affirmat Suarez, Vasquez, Bellarminus, Valentia, & alii antiquiores ex nostra Societate.

IV. Sitne tertia scientia inter has duas Media.

Molina itaque, Bellarminus, Vasquez, Valentia, Lessius, & alii scientiam futurorum sub conditione ad scientiam simplicis intelligentiæ reducunt, quibus etiam subscribit Stapletonus: objectum itaque simplicis intelligentiæ esse voluit illud omne, quod abstrahit ab actuali, & absoluta existentia. Alii è contra cum Suarez, scientiam conditionatam revocandam potiùs censent ad scientiam visionis, sicque illam omnem scientiam, quæ quovis modo rem considerat sive absolute, sive sub conditione futuram, dicit Suarez esse visionis; scientiam autem simplicis intelligentiæ vult esse illam solam, quæ planè abstrahit ab omni futuritione, seu existentia rei, etiam conditionata, quæque in sola possibilitate sistit, & prædicatis rei essentialibus secundum se.

V. Scientiam conditionatam vult esse aliquam ad scientiam simplicis intelligentiæ, alii ad Visionis.

Ex recentioribus tamen Erice hæc d. 7. cap. 10. num. 65. & d. 9. cap. 1. num. 7. & deinceps; quem sequitur Alarcon hæc, tract. 2. d. 5. cap. 3. num. 8. & videtur sententia Becani, I. p. cap. 10. q. 1. idque tenet Tannerus I. p. disp. 2. q. 8. dub. 9. num. 1. hi; inquam, dicunt scientiam conditionatam rei futuræ contingenter posse vocari mediam, non solum inter scientiam liberam, & necessariam, de quo mox dicitur, sed etiam inter Scientiam Simplicis

VI. Vult alii Scientiam conditionatam esse Mediam inter Scientiam Visionis & Simplicis intelligentiæ.

intelligentiæ & Visionis: objectum enim, in-  
quiunt, ejus nec est purè possibile, sicut objecta  
Simplicis intelligentiæ, nec absolutè futurum, sicut  
objecta Scientiæ Visionis, sed medio quodam mo-  
do se habet: est enim futurum solum sub condi-  
tione, quod plus est quàm purè possibile, & mi-  
nus quàm futurum simpliciter, seu absolutè.

**VII.** Hoc ergo sensu admitti potest hæc objecta  
habere statum medium inter purè possibilis, &  
absolutè futura; non quòd de factò quidquam  
habeant, seu quidquam eorum existat, imò etiam  
fortè nunquam existet; sed quòd haberent existen-  
tiam si poneretur conditio, quod de purè possibi-  
libus dici nequit. Et hoc concedere debent ad-  
versarii de propositionibus conditionis in mate-  
riam necessariam.

**VIII.** Unde addit P. Erice citatus, si Molina Scien-  
tiam Mediam hoc etiam sensu statuisset, ut mordi-  
cùs contendunt Thomistæ, licèt falsò, ut ostensum  
est, laudi tamen ei potius esset quàm vitio verten-  
dum. Quid enim, inquit, gloriosius, quàm Scien-  
tiam hanc, quæ usque ad nostra tempora in tene-  
bris latuit, in lucem protulisse, & modum tot tam-  
que graves difficultates enodandi in scholas, tanto  
Orbis bono, innoxisse? His verò qui rem invenerunt,  
jus est nomen eidem imponendi. Hæc ille.

**IX.** Quòd verò S. Thomas art. illo nono, nullam hu-  
jus Scientiæ fecerit mentionem, imprimis, inquit,  
Erice & Alarcon, solum est argumentum negati-  
vum; Scientiam enim Simplicis intelligentiæ, &  
Visionis astruendo, non negat mediam. Deinde  
S. Thomas illo loco solum agit de cognitione non  
entium, seu eorum quæ purè sunt in potentia, &  
horum ait esse Scientiam Simplicis intelligentiæ;  
sicut & habere Scientiam Visionis eorum, quæ  
sunt absolutè futura. Sicut autem tertii generis  
objectorum, nempe eorum quæ nec sunt purè  
possibilia, nec absolutè futura, sed medio modo se  
habent, nullam fecit ibi S. Thomas mentionem; ita  
non est mirum, si non assignaverit iis etiam pro-  
prium scientiam. Mihi itaque sine incommodo  
concedi posse videtur, Scientiam hanc esse me-  
diam, non solum inter necessariam, & liberam,  
quod nostri omnes concedunt, ut postea videbi-  
mus, sed etiam inter Scientiam Simplicis intelligentiæ,  
& Visionis; tam enim medium est objectum inter  
purè possibile, & simpliciter futurum, quàm inter  
liberum & necessarium.

**X.** Quòd autem in re, quidquid sit de modo lo-  
quendi, S. Thomas admiserit hanc Scientiam me-  
diam, seu conditionatam, patet tum aliis locis, tum  
3. part. quest. 1. art. 5. ad 2. ubi ait Deum ob causas  
in abyssò providentiæ suæ reconditas, noluisse ante  
id tempus, quo de factò peractum est hoc myste-  
rium, Verbum Incarnari, nec hominibus ante In-  
carnationem existentibus prædicari Evangelium,  
licèt nosset, illos, si prædicatum iis fuisset, acturos  
fuisse poenitentiam. Hæc directè est Scientia con-  
ditionata, seu media, quam astruimus, ergo.

**XI.** Quòd autem in re, quidquid sit de modo lo-  
quendi, S. Thomas admiserit hanc Scientiam me-  
diam, seu conditionatam, patet tum aliis locis, tum  
3. part. quest. 1. art. 5. ad 2. ubi ait Deum ob causas  
in abyssò providentiæ suæ reconditas, noluisse ante  
id tempus, quo de factò peractum est hoc myste-  
rium, Verbum Incarnari, nec hominibus ante In-  
carnationem existentibus prædicari Evangelium,  
licèt nosset, illos, si prædicatum iis fuisset, acturos  
fuisse poenitentiam. Hæc directè est Scientia con-  
ditionata, seu media, quam astruimus, ergo.

SECTIO DUODECIMA.

De Scientia Naturali, & libera. Vbi,  
An Scientia Simplicis intelligentiæ,  
& Visionis, differant ex  
parte objecti.

**Q**UINTO: Scientia Dei dividitur in Natura-  
lem & Liberam. Scientia Naturalis illa est

quæ terminatur ad objectum necessarium, seu  
quod aliter se habere non potest. *Libera* è contrà,  
quæ terminatur ad objectum contingens, seu  
quod aliter esse potest, vel quod existit dependenter  
à voluntate Dei liberà. Hanc divisionem contem-  
dunt Thomistæ eandem esse cum præcedente, &  
Scientiam Naturalem seu necessariam cum Scien-  
tiâ Simplicis intelligentiæ, Liberam verò cum  
Scientiâ Visionis coincidere: sed frustrà, cum  
Scientia, quam Deus habet de seipso, sit Visionis,  
& tamen necessaria respectu omnium præterquam  
actuum liberorum. Sic etiam Scientia rerum sub  
conditione futurarum à multis dicitur esse Simp-  
licis intelligentiæ, ut vidimus, & tamen non est Ne-  
cessaria. Nec unquam S. Thomas hanc divisionem  
Scientiæ Dei tradidit.

Scientiam ergo conditionatam, seu objectorum  
conditionatè futurorum dicunt communiter nostri  
esse mediam inter Naturalem seu Necessariam, quæ  
in rebus creatis est de purè possibilibus, utpote quæ  
necessariò sunt possibilis, & Liberam, quæ est de  
rebus pro aliqua differentia temporis existentibus;  
mediâ enim viâ procedit hæc Scientia; cum obje-  
ctum ipsius nec sit purè possibile, nec absolutè fu-  
turum. Fortè tamen est quæstio de nomine, utrum  
vocanda sit hæc Scientia media inter Necessariam,  
& Liberam, ut vult Molina; an Liberam, ut vult Sua-  
rez, Arrabal, & alii, cum dependeat ab arbitrio  
creato libero: si autem conditio sit Liberæ, obje-  
ctum, inquit, à tali conditione dependens, est  
similiter Liberum, & consequenter Scientia item  
quæ ad illud objectum sequitur, libera erit conformi-  
ter ad naturam objecti. Si tamen per Scientiam  
Liberam intelligat quis eam, quæ Deus potuisset  
carere si voluisset, hoc sensu potest Scientia con-  
ditionata vocari media inter merè Naturalem seu  
Necessariam, & merè Liberam, eâ fortè solum ex-  
ceptâ, quæ ex actuali Dei decreto præcisè pendet.  
Certum ergo est, esse in Deo Scientiam condi-  
tionatam, de qua fuscè postea: utrum autem sit vocanda  
*Media*, his fortè est de nomine.

Quæri hic solet, in quo differat objectum  
Scientiæ Simplicis intelligentiæ, & visionis? Ad  
hoc obiter cum communi omnium opinione, dico,  
nullam esse in objecto differentiam ex parte rei  
cognitæ, sicut nec inter objectum Scientiæ condi-  
tionatæ, & visionis: Deus enim, sicut per Scien-  
tiam conditionatam novit, *Si Petrus cras ponatur in  
talibus circumstantiis, peccabit*; ita etiam posito,  
vel absolutè futuro peccato, videt absolutè illum  
in talibus circumstantiis peccare, vel esse peccaturum.  
Cum etiam Deus non decernat producere  
nisi quod cognoscit esse possibile, quicquid statuit  
producere, novit antea per Scientiam Simplicis  
intelligentiæ, esse possibile, & post decretum, illud  
ipsum videt per Scientiam visionis esse futurum.  
Differunt ergo hæc Scientiæ solum quoad modum  
tendendi; per Scientiam enim visionis judicat Deus  
rem actu existere, & excludere negationem sui;  
per Scientiam autem Simplicis intelligentiæ solum  
hoc judicat conditionatè, nempe, fore ut existeret,  
si Deus vellet eam producere, vel aliquid hujus-  
modi: de quo nunc plura subjiciam.

Ut verò res hæc, quæ spinosissima est, & maxi-  
mè intricata, non nihil declaretur: observandum id,  
quod fuscè discussi Disp. 4. & 5. Metaphysicæ,  
triplicem scilicet considerari posse cujusque rei sta-  
tum, *puræ Possibilitatis, Existentiæ, & Medii*, quan-  
do scilicet representantur prædicata rei intrinseca  
secundum se, præscindendo ab eo quòd existant,  
vel non existant. Esse itaque rem purè possibilem,  
est actu

Quid sit  
Scientia Na-  
turalis, quid  
Liberam.

Non omni  
Scientia Vi-  
sionis est Li-  
bera.

II.  
Scientia di-  
ditionata  
media inter  
naturalem  
& liberam.

Negant al-  
qui eam esse  
mediam.

Vocanda ve-  
ro sit Media,  
lis est de no-  
mine.

III.  
Inter Scien-  
tiam Simp-  
licis intelli-  
gentiæ & Vi-  
sionis nulla  
est in objecto  
differentia.

Hæc Scientia  
differunt se-  
lum ex modo  
de tendendi.

IV.  
Triplicem sta-  
tum, Possibilitatis,  
Existentiæ, &  
Medii.

Pura possibilia.

est actu existere illius negationem, per quam eorum natura, & actuali existentia excluditur, cum duo contradictoria a parte rei existere simul nequeant. Hac tamen negatio est tollibilis, in quo differt a negatione Chimerae, quae per nullam potentiam tolli potest. E contra verò, rem existere, est tollere negationem sui, & oppositionem cum illa actu exercere. Tertius demum status dicit, rem esse possibilem praesens, seu posse existere, vel non existere, actualem tamen existentiam, vel illius negationem nec includit, nec excludit.

Existencia.

Possibilitas praesens.

V.

Res, & eius negatio in quovis ex his tribus statibus concipitur.

Quocumque ergo ex his tribus modis res concipitur, Scientiam illam semper ingreditur res & rei negatio, alio tamen & alio modo accepta. Status existentiae rem dicit in recto, negationem in obliquo, nempe ut exclusam, & hoc modo per scientiam visionis cognoscitur. Status purae possibilitatis e contrario negationem dicit in recto, rem ut per eam exclusam, in obliquo: unde cognitio Dei ad hoc objectum terminata, non minus est Scientia visionis, quam praecedens; tum quia cognoscit negationem illam existentem, tum etiam quia est scientia libera, utpote quae fertur in objectum liberum; Deo enim integrum est hunc statum purae possibilitatis tollere, & rem illam ad statum actualitatis, seu existentiae pro libito transferre.

VI.

Scientia Simplicis intelligentiae strictè dicta.

Scientia ergo Simplicis intelligentiae strictè dicta, illa sola est, quae rem in tertio statu considerat, nempe, merè secundum praedicata ejus essentialia, prout scilicet apta est tollere vel excludere negationem sui, praescindendo utrum eam de facto tollat aut excludat necne.

VII.

Ostenditur, hanc scientiam non differre ex objecto, sed tantum ex modo intendendi.

Cum itaque in omnibus tribus rei considerationibus sit idem planè objectum, tum positivum, tum negativum, diversitas harum scientiarum desumitur nequit ex objecto, sed tantum ex modo tendendi. Scientia enim rei purè possibilis iudicat eam posse quidem, sed de facto non existere, nec tollere aut excludere negationem sui. Scientia Visionis iudicat rem existere, & negationem sui actu tollere vel excludere. Denique Scientia Simplicis intelligentiae strictè dicta, iudicat rem aptam esse quae existat, tollat vel excludat negationem sui, sive actu illam tollat, aut excludat, sive non.

VIII.

Dari potest Simplex intelligentia rei ab aeterno producta.

Dixi, quae tollat vel excludat negationem sui; res namque, si ab aeterno produceretur, non tolleretur, sed excluderet negationem sui; tollere enim supponit id quod tollitur, aliquando extitisse; in hoc autem casu negatio illa nunquam extitisset, ut constat, sicque non tollitur, sed excluditur per rem ab aeterno existentem. Unde res ab aeterno producta, nunquam fuisset purè possibilis: Respectu tamen rei huius ab aeterno producta haberet Deus scientiam Simplicis intelligentiae: pro illo enim priori naturae, vel rationis, antequam rem illam, Angelum exempli gratia, produceret, sciret praedicata ejus essentialia ejusmodi esse, ut possent produci, seu quae apta essent ad excludendam negationem sui, & ex hac scientia ad illius productionem dirigeretur. Deinde pro posteriori haberet Deus ejusdem Angeli scientiam Visionis, qua cum novit negationem sui actu excludere.

IX.

Non rectè quaedam scientiam Simplicis intelligentiae strictè dictam declarant.

Solum noto, mihi non probari modum, quo recentiores aliqui scientiam Simplicis intelligentiae strictè dictam, tertio rerum statui supra posito correspondentem explicant: dicunt enim Deum per illam scientiam, huiusmodi iudicium formare: Res (alius mundus, exempli causà) pro tali instante determinato vel erit, vel non erit. Sed contra primò: Scientia enim Simplicis intelligentiae propriè dicta abstrahit omnino tam ab existentia, quam non exi-

stentia, etiam disjunctivè sumptà, & solum sibi in praedicatis rei intrinsicis, & ex illis praesens consideratis iudicat rem aptam esse ad existendum, sive unquam habitura sit existentiam, sive non.

Contra secundò: haec namque sunt diversae veritates cognoscibiles, *Alius mundus potest esse, & alius mundus erit, vel non erit in instante B.* Quamvis si quidem haec secunda veritas oriatur ex primà, si enim res illa potest esse, evidenter sequitur, tali instante determinato extituras, vel non extituras, (cum alterum ex contradictoriis quocumque instante necesse sit existere) haec, inquam, esto ita se habeant, in conceptu tamen formali & intrinseco possibilitatis non includitur vel existentia, vel non existentia, etiam disjunctivè. Sicut si quis de aliquo affirmet, esse animal, licet inde necessariò sequatur esse rationale, vel irrationale, haec tamen in conceptu animalis praesens & formaliter sumptò, non includuntur. Sic qui dicit *Ens*, non dicit formaliter creatum, nec increatum, etiam disjunctivè: nec rem spirituales vel corporeas esse affirmat, qui eam ait esse substantiam: & sexcenta huiusmodi.

X.

Haec sunt diversae veritates, res potest esse, & erit vel non erit tali instante.

XI.

Vterius ostenditur, Simplicem intelligentiam strictè dictam non includere disjunctivè existentiam, vel non existentiam.

Contra tertio: Chimera similiter vel erit, vel non erit tali determinato instante, & tamen est impossibilis; ergo conceptus possibilitatis rei alicujus non rectè per hoc explicatur, quòd tali instante habitura sit, vel non habitura existentiam. Respondent, propterea addendum esse, scientiam hanc Simplicis intelligentiae asserere, rem tali determinato instante futuram, vel non futuram dependentem à Deo, nempe illam producente, quod, inquit, Chimera non competit, quae erit vel non erit planè necessariò, & independentem à Deo, utpote penes quem non est vel facere, vel permittere contrarium. Sed contra: possibilitas in suo conceptu formali non dicit producibilitatem, sed solum quòd res in praedicatis suis intrinsicis non involvat duo contradictoria. Unde, ut ostendi d. 4. Metaph. sect. 1. num. 3. latius patet possibile, quam producibile; Deus enim est possibilis, qui tamen non est producibilis. Quod verò Deus sit possibilis, est manifestum; Deus namque EST, ergo potest esse, seu est possibilis, ab actu enim ad potentiam valet consequentia. Deus quidem esse nequit purè possibilis, hoc siquidem includit negationem existentiae, quae Deo penitus repugnat.

XII.

Ens & possibile convertuntur.

Deinde, Ens reale & possibile idem sunt; Ens autem abstrahit à creato & increato, seu producibili & improducibili, alioqui de alterutro non posset praedicari, ergo & possibile similiter abstrahit à producibili & improducibili, ergo in suo conceptu non includit producibilitatem. Confir. Actu existere non includit actualem productionem, cum Deus Pater verè actu existat, ergo nec existentia possibilis includit productionem possibilem. Addo, jam hos auctores constituere diversitatem ex parte objecti in Scientia Simplicis intelligentiae & visionis, quod tamen maxime vitare cupiunt: objectum enim simplicis intelligentiae, juxta illos, ingreditur Deus, qui tamen non ingreditur objectum visionis.

Argumentum ab existentia actuali ad possibilem.

XIII.

Scientia Visionis, & Simplicis intelligentiae in se invicem non transeunt.

Ex dictis infero, Scientiam Simplicis intelligentiae & visionis in se invicem nunquam transire per objectivam rei mutationem, sed ab aeterno in Deo fuerunt respectu rerum futurarum, secundum diversam instantiam, seu signa rationis, & etiamnum invariata permanent, ac semper permanebunt.

XIV.

Ad scientiam Visionis non requiritur, ut objectum actu existat.

Infero secundò, ad hoc ut scientia quam Deus habet, vocetur scientia visionis, non esse necessarium, ut objecta, ad quae terminatur, actu existant, sed sufficit quòd pro aliquà temporis differentia existant.



existentiam sunt habitura. Unde, ut proxime dixi, Deus ab aeterno habuit scientiam visionis respectu objectorum, quae postea in tempore erant producenda, ac modo illorum habet, quae aliquot abhinc annorum millibus sunt destructa.

**XV.**  
Idem est etiam  
objectum  
Scientia con-  
ditionata,  
quod Sim-  
plicis intelli-  
gentis, &  
visionis.

Infero tertio; etiam Scientiam conditionatam ex parte objecti nihil à Scientia Simplicis intelligentiae, & visionis differre: quod enim per illam Scientiam videt Deus futurum conditionate, Petrum exempli gratia, si detur tale auxilium, consensurum, videt per Scientiam Simplicis intelligentiae esse possibile, auxilium scilicet, & consensum; ac demum, ubi à parte rei actu existunt, vel absolute sunt ponenda, Deus illa eadem cognoscit per Scientiam visionis. Tota ergo inter has tres Scientias differentia est ex parte modi tendendi.

SECTIO DECIMA-TERTIA.

Divisio Divinae Scientiae in Practicam, & Speculativam.

**I.**  
Divisio Sci-  
entiae Divi-  
nae in Pra-  
cticam, &  
Speculati-  
vum.

**S**EXTO Divina Scientia dividitur in *Speculativam*, & *Practicam*: in qua partitione assignanda, licet omnes conveniant, ad quae tamen objecta Scientia Dei, ut est practica, ad quae ut Speculativa, extendatur, non parva est inter eos dissenso, quae ut plurimum nascitur ex diversa notione Speculativae & practicae Scientiae, in Philosophia tradi solita: cum namque ibi contrarias hac de re assignent regulas, dum quisque in praesenti, traditis illis se principis adheret, sibi que consentit, ab aliis dissentit.

**II.**  
Quid sit esse  
practicum,  
quid specu-  
lativum?

Cum itaque Disp. decima Logicae sect. prima, in eo Scientiae practicae conceptum situm esse dixerimus, quod representet objectum operabile à cognoscente; è contra verò scientiam speculativam esse illam, quae objectum representet à cognoscente non operabile, & in hoc consistere, quod communiter dici solet, scientiam practicae ordinari ad opus, speculativam verò non ordinari: conformiter ad haec principia, de Scientia Divina in praesenti est procedendum.

**III.**  
Scientia Dei,  
respectu na-  
turae Divi-  
nae, est spe-  
culativa.

Primo itaque Scientia Dei, respectu naturae suae, & perfectionum absolutarum, est Speculativa, ut cum S. Thoma hic, q. 14. a. 16. docent passim Theologi: imò etiam respectu volitionis absolutae: quamvis enim haec, ratione nostrâ, ad Scientiam in in Deo sequatur, non tamen ab ea oritur instar seu per modum objecti: Scientia enim practica est, non ad quam quocumque modo aliud sequitur, sed ad quam sequitur tanquam objectum representatum, seu per modum ideae: sicut pictor, imaginem quam facit, prius per scientiam practicae tanquam objectum sibi representat.

**IV.**  
Cognitio re-  
spectu cuius  
sit practica.

Unde, nec in creatis cognitio, ad quam sequitur actus voluntatis, seu amor alicujus objecti, est practica respectu illius volitionis, sed solum respectu objecti, quod actu illo intellectus cognitum, ejus directione sit; volitio autem per cognitionem illam non representatur, sed solum objectum, in quod tendit volitio. Alioqui nullus omnino esset actus intellectus non practicus, ne quidem respectu rei impossibilis, cum nullus sit, ad quem aliquis actus voluntatis sequi non possit.

**V.**  
Idem amor  
ab actu in-  
tellectus pra-  
ctico, vel  
speculativo,  
procedere  
possit.

Idem ergo actus voluntatis, amor Dei, exempli gratia, & ab actu practico intellectus procedere potest, & à speculativo: si enim quis ex considera- tione perfectionum divinarum, infinitaque ejus

Bonitatis, actum amoris Dei eliciat, actus intellectu- us unde hic amor oritur, est speculativus, nihil siquidem operabile habet pro objecto. Si verò quis habeat hunc actum intellectus, Deus est amandus, & inde procedat amor Dei, actus intellectus, ad quem sequitur ille amor, esto respectu Dei sit speculativus, respectu tamen amoris, quem etiam representat, est practicus; ad illius enim, tanquam objecti cogniti, effectum dirigit. Deinde, volitio Dei absoluta non omnino fit, nec fieri potest, ergo scientia ad quam sequitur, neque esse practica, cum non representet objectum operabile.

Secundo: Scientia quam Pater aeternus habet de Verbo aeterno, licet non sit practica, si per scientiam practicae intelligatur cognitio tendens ad opus aliquod faciendum ab artifice, & consequenter includat causalitatem: si tamen latius sumatur scientia practica, pro cognitione scilicet rei alicujus, quocumque modo producibilis ab operante, ut sonat scientiae practicae definitio, potest sine inconveniente & periculo erroris Ariti concedi scientiam illam esse practicae. Nec refert, hanc scientiam verbum considerare ut existens; cum enim, hoc non obstante, sit origine prior verbo, non estur respectu illius non sit practica.

Idem existimo de cognitione, quam Pater & Filius habent de Spiritu Sancto, esse scilicet practicae, cum ad illam sequatur amor, per quem Spiritus Sanctus producitur. Scientia autem Paternitatis est speculativa, cum haec relatio non sit producibilis.

Nec dicitur de cognitione Filii & Spiritus Sancti obstat, quo minus sit practica, id quod objicit P. Suarez hic lib. 3. de Attrib. cap. 4. num. 5. objectum scilicet scientiae practicae debere esse liberum, cum tamen productio Filii & Spiritus Sancti sit maxime necessaria: hoc, inquam, non obstat; nam, ut Disp. 10. Log. sect. 4. ostendi, hoc ad rationem Scientiae practicae nullo modo requiritur, sed quantumcunque necessario, atque etiam sine errandi periculo, ad illam sequatur objectum; per eam cognitum, si tamen sit operabile à cognoscente, Scientia illud representans est practica.

Scientia rerum possibilium, seu simplicis intelligentiae, est practica, saltem in actu primo; ad hoc enim sufficit quod ex vi illius possit Deus dirigi ad illas producendas, unde & vocatur *ars divina*; de Deo enim Sapientiae 7. dicitur, *Omniunum artifex docuit me sapientia*. Quod autem nolit eam Deus applicare ad opus, non arguit esse speculativam, nisi ad summum secundum quid; quo sensu ait S. Thomas medicinam esse speculativam secundum quid, cum medicus non vult eam uti, & applicare ad opus. Ut autem sit in actu secundo & proxime practica, requiritur volitio applicandi illam ad opus.

Unde & hic, a. 16. scientiam quam habet artifex aedificandi domum, si nolit eam ad aedificationem applicare, vocat S. Thomas speculativam, quantum ad finem, quia scilicet perinde est hic & nunc ad actualem consecutionem finis, ad quem ordinatur, atque si esset pure speculativa; simpliciter tamen est practica, cum essentia Scientiae practicae in ea reperitur, quod scilicet representet objectum operabile à cognoscente.

Contrarium tenet Scotus in Prolog. q. 4. a. 3. cum suis: qui proinde dicunt, scientiam rerum possibilium, seu simplicis intelligentiae in Deo, nullo modo esse practicae, sed pure speculativam. Ratio eorum est, quod scientia illa regulare nequeat voluntatem divinam, cum haec sit sibi regula.

Reipon-

**VI.**  
Scientia De-  
tri, respectu  
Verbi aeterni,  
quo sensu sit  
practica.

**VII.**  
Cognitio De-  
tri & Filii  
de Spiritu  
Sancto, est  
practica.

**VIII.**  
Objectum  
Scientiae pra-  
cticae non  
debet neces-  
sario esse li-  
berum.

**IX.**  
Scientia re-  
rum possibi-  
lium est pra-  
ctica.

**X.**  
Scientiam  
aedificandi,  
quo sensu  
vocat S. Tho-  
mas specula-  
tivam.

**XI.**  
Contentum  
aliqui, scilicet  
nam possibi-  
lium esse spe-  
culativam.

Divine possit, scientiam Dei regulare ejus voluntatem.

Respondetur tamen, si per regulare intelligat quis, Scientiam simplicis intelligentie dicere voluntati hoc vel illud esse necessarium faciendum, sicque tollat divinam libertatem, hoc, inquam, sensu scientia hæc non regulat Dei voluntatem, utpote quam relinquit liberrimam. Sin vero per regulare, aliud nihil intelligatur, quam objectum aliquod modumque illud faciendi proponere, dici sine incommodo potest, Scientiam simplicis intelligentie regulare voluntatem divinam, sicque esse practicam: de qua sic habet S. Augustinus lib. 11. de Civit. cap. 21. Nec author est excellentior, nec ars efficacior Verbo Dei. Imò ipsa sacra Scriptura, ut supra vidimus, divinam Scientiam non semel vocat *Artem*. Primus autem regulandi modus ad Scientiam practicam nullo modo est necessarius.

Verbum Dei ars excellentissima.

XII. Scientia impossibile est speculativa.

Quæres utrum Scientia quam Deus habet de impossibilibus, sit speculativa, an practica. Respondetur, esse speculativam, cum objecta hæc non sint producibilia. Qui tamen dicunt, posse Deum Ens rationis fabricari, non refugient concedere, Scientiam impossibilem esse aliquo modo practicam.

XIII. An cognitio negationum practica sit, an speculativa.

Quæres secundo, quid de cognitione Dei respectu negationum & privationum dicendum sit, utrum nimirum speculativa dicenda sit, an practica. Respondetur, negationes esse in duplici differentia, rerum scilicet possibilem, & impossibilem, nempe Chimæ, hircocerui &c. Harum itaque secundi generis negationum scientia est speculativa: aliarum verò cognitio dici potest practica, quatenus nimirum indirectè à Deo poni possunt, res scilicet, quarum sunt negationes destruendo, re enim destructa, confurgit illius negatio, cum alterum ex contradictoriis necessariò debeat existere.

XIV. Cognitio Dei, respectu peccati, dici potest practica.

Quæres tertio: Utrum cognitio peccati sit Deo practica, an speculativa. Resp. cum S. Thomà hie, q. 14. a. 16. Corp. dici posse practicam, in quantum scilicet ad illud permisivè concurrat.

SECTIO DECIMA-QUARTA.

Quenam in Deo Scientia sit causa rerum.

I. Certum est, aliquam Dei scientiam esse causam rerum.

INDUBITATUM est inter Theologos, aliquam Dei scientiam esse causam rerum; voluntas quippe Divina earum productionem decernit, voluntas autem aliquam necessariò prærequirit scientiam, cum ferri nequeat in incognitum. Præsens itaque difficultas est, quamam scientia in Deo sit causa rerum, seu ejus voluntatem ad illarum effectiorem dirigat. Controversia autem inter duas potissimum scientias versatur, *Simplicis intelligentie*, quæ res possibilem, & *Visionis*, quæ futuras, seu pro aliqua differentia temporis existentes representat: de quibus fusè supra, sect. 11. & duodecimà dictum est.

II. Prima sententia ait, Scientiam Visionis esse causam rerum.

Prima ergo hac in re sententia est Thomistarum dicentium, scientiam visionis esse causam rerum. Afferunt itaque res ideo esse futuras, quia Deus illas novit esse futuras; è contra verò hanc propositionem aiunt esse falsam: *Ideo novit Deus esse futuras, quia sunt future.* ita Alvarez Disp. 16. & alii.

III. Mens S. Thomæ circa scientiam rerum productionem.

Citari etiam solet S. Thomas 1. p. q. 14. a. 8. Corp. sed is apertè loquitur non de scientia visionis, sed simplicis intelligentie, ut constat exemplo artificis, quò ad hoc declarandum ibidem utitur Sanctus Doctor: ait enim, *Scientiam Dei ita se habere ad res creatas, sicut se habet scientia artificis ad artificiatas: scientia autem quæ artifex ad rem aliquam arti-*

ficisam faciendam dirigitur, non est cognitio intuitiva rei illius, & scientia visionis, quæ nimirum rem videat factam, sed abstractiva, & quæ eam proponat faciendam.

Secunda itaque sententia multò communior & verior affirmat, non scientiam visionis, sed simplicis intelligentie, esse illam per quam Deus ad creaturarum productionem dirigitur, sicque esse causam rerum: ita nostri communiter, Molina hic, Disp. 17. Suarez hic, lib. 3. de Attrib. cap. 4. num. 12. 13. 14. & 15. & in 2. Proleg. cap. 10. & alibi. Vasquez 1. p. Disp. 78. cap. 6. Arual hic, q. 8. Tannetius 1. p. Dip. 2. q. 8. dub. 10. num. 6. P. Arriaga hic, d. 18. sect. 1. num. 15. P. Etice 1. p. d. 10. sect. 1. ubi hanc sententiam acerrimè defendit, & viginti pro eà auctores citat.

IV. Secunda sententia causam rerum statuit simplicem intelligentiam.

Ratio est primò: Scientia enim visionis supponit rem futuram, seu pro aliquà temporis differentia existentem, adeoque non potest illam causare, cum omnis causa antecedere debeat effectum: sicut, ut dixi num. 3. visio qua pictor intuetur imaginem factam, esse nequit imaginis illius causa, nec pictorem ad illius delineationem dirigere.

V. Scientia Visionis supponit rem futuram, ergo nequit eam causare.

Ratio est secundo, & præcipue: scientia namque simplicis intelligentie sufficienter, per modum artis, & practicè rem proponit, ita ut vi illius possit virtus operativa Dei illam ad extra producere; ad hoc etenim sufficit, quòd entitas possibilis, seu prædicata illius intrinseca represententur; nec enim res, ut producatur, videri debet ut facta, sed ut factibilis; ergo superflua ad hoc munus est scientia visionis.

VI. Ostenditur, scientiam simplicis intelligentie esse causam rerum.

Tertiò idem probatur: si enim scientia visionis foret causa actuum nostrorum, tolleretur libertas, propterea siquidem de facto dicimus stare scientiam Dei cum libertate, quia est quid consequens operationem liberam, jam pro suà differentia temporis factam. Si autem ponatur antecedere (sicut poni necesse est, si sit causa rerum) tollet libertatem, cum habeat necessariam connexionem cum effectum; quicquid autem absolute antecedit tanquam causa, inferens infallibiliter effectum, non potest stare cum libertate, seu indifferentia ad utranque partem contradictionis.

VII. Si scientia Visionis esset causa rerum, tolleretur libertas.

Hinc Sancti Patres passim affirmant, eorum quæ à nobis proficiuntur, prænotionem Dei (per quam intelligunt scientiam visionis, seu quæ Deus prævidet futura) non esse causam, sed potius è contra; nec ideo nos hæc facere quia Deus prænotavit nos ea facturos, sed ideo Deum hæc prænotare, quia facturi sumus. Unde S. Justinus Martyr, libro *Questionum à Gent. propositarum*, q. 58. sic habet: *Nec causa est ejus, quod futurum est, prænotio; sed quod futurum est, causa prænotionis.* Neque enim prænotionem sequitur quod futurum est, sed quod futurum est, prænotio. Hæc ille. Similia habet S. Hieronymus in Ezechie: cap. 2. Ubi super illa verba, *Et dices ad eos: sic scribit: Non quia ille ventura cognoscit, necesse est nos facere, quod ille præscivit; sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum, quasi Deus.* Idem docet S. Joannes Damascenus; S. Chrysolomus, Beda, & alii: Plura in hanc rem infra Disp. 24. sect. decimà.

VIII. Docent Patres, scientiam Visionis non esse causam rerum.

Unde quando aliqui ex sanctis Patribus, ut S. Augustinus Tom. 3. lib. 15. de Trin. cap. 13. & S. Gregorius lib. 20. Moral. cap. 24. dicunt res ideo esse quia Deus eas novit, non è contra, intelligentiæ sunt de scientia simplicis intelligentie, sine qua nihil omnino ad extra producit Deus, nec producere potest, cum non operetur cæcò modo, sed directus à scientià

IX. Patres alii loquuntur de scientia simplicis intelligentie.

Dum

X.  
Res futura  
non sunt  
causa pre-  
scientia Dei.

Dum verò S. Thomas, & alii Patres affirmant, res futuras non esse causam essendi præscientiæ Dei, volunt non propriè esse causam illius, nempe illam producendo, seu physicè in eam influendo: non tamen negant esse lato modo causam, quatenus scilicet futuritio creaturarum est quid requisitum, saltem tanquam conditio necessaria ad scientiam visionis: & hoc sensu Deus habet scientiam visionis à creaturis, quamvis sit improprius modus loquendj.

XI.  
Ostenditur  
quo pacto  
Scientia Sim-  
plicis intelli-  
gentia sit  
practica.

Dices: scientia effectiva rerum debet esse practica: scientia autem simplicis intelligentiæ non est practica cum non ordinetur ad opus; solum enim tendit ad essentias rerum, quæ non sunt producibiles. Scientia ergo practica ferri debet in ipsas rerum existentias, seu in res ut existentes. Resp. scientiam practicam non ferri in existentiam ut exercitam, sed ut exercendam, seu in rem ut factibilem, ita scilicet ut ex vi illius dirigi possit operans ad illam faciendam; hoc autem præstat scientia simplicis intelligentiæ. Scientiam autem esse practicam, seu ordinari ad opus, nihil est aliud, quam proponere virtuti executrici rem factibilem ab operante, ut latius ostensum est Disp. decimâ Logicæ, sectione primâ.

XII.  
Quid sit esse  
practicum  
in actu pri-  
mo, & in  
actu secun-  
do.

Hæc verò Scientia nullam vim infert Divinæ Voluntati, sed liberrimè se Deus ex ejus directione ad agendum applicat, atque ad rem sibi ab hac Scientiâ propositam efficiendum: Denique, ut Scientia simplicis intelligentiæ sit perfectè practica in actu primo, non requiritur ut voluntas ad agendum actu applicetur, sed hoc solum est necessarium ut sit practica in actu secundo, seu ut de facto Deus per illam, ad operandum determinetur.

## SECTIO DECIMA-QUINTA.

### De Invariabilitate, seu Immutabilitate Divinæ Scientiæ.

I.  
Scientia Dei  
quoad sub-  
stantiam,  
nullam in  
se patitur  
varietatem.

Dico primò: Scientia Dei quoad entitatem, & substantiam, nullam in se patitur varietatem, nec solum definere nequit esse, quæ semel fuit, sed nec potuisset esse alia, quam quæ de facto est. Ratio est clara; Scientia enim Dei realiter cum prædicatis Dei intrinsecis identificatur estque ipse Deus, qui, ut supra Disp. 9. sect. 1. vidimus, nullius mutationis est capax.

II.  
Scientia Dei  
quoad possi-  
bilia & im-  
possibilia,  
nullius va-  
rietatis est  
capax.

Dico secundò: Scientia Dei, etiam quoad terminationem, alia nunquam esse potuit, quam est, circa possibilis & impossibilia. Ratio est, mutatio enim omnis, quæ in Scientia Divinâ excogitari à quoquam posset, vel deberet esse in ipsâ Dei entitate, vel terminatione, seu in rebus quas representat: sed in primâ, ut proximè ostensum est, nulla esse potest mutatio, vel varietas, cum Scientia Dei sit Deus, cujus entitas planè necessaria est & immutabilis, neque etiam in terminatione ad hæc objecta potest mutatio ulla aut varietas contingere, cum objecta ipsa mutari nullo modo possint: ergo.

III.  
Potuisset in  
Deo esse alia  
Scientia Vi-  
sionis quoad  
terminatio-  
nem.

Dico tertio: quoad existentiam, seu pro aliquâ differentia temporis futura, potuisset Deus quædam vidisse, quæ non videt, & ea quæ de facto videt, non vidisse: sicque scientia visionis, quæ talis, alia potuisset esse, quam de facto est. Probatur: sicut enim Deus decrevit hunc mundum, & hæc rerum seriem producere, ita his rebus omisissis decernere potuisset producere alias, quod si fecisset, illas, non hæc quæ de facto sunt vidisset, quo sensu

scientia visionis dicitur libera, seu contingens, utpote quæ ad objecta, libere à Deo à parte rei posita consequitur, & ab iis quoad terminationem dependet.

Dico quarto: Scientia tamen Dei est invariabilis, etiam respectu rerum existentium, & quam semel habet Deus cognitionem, semper habet, nullamque in eâ patitur mutationem, quantumvis ad objecta mutabilia terminetur. Ita Molina 1. p. q. 14. a. 15. Suarez hic, lib. 3. de Attrib. cap. 3. num. 14. & sequentibus, Vasquez 1. p. q. 14. a. 15. Valentia hic, pu. 8. Erice, 1. p. d. 6. Tannerus 1. p. d. 2. q. 8. dub. 10. num. 2. Granado hic, tract. 6. p. 1. num. 6. Arriaga 1. p. d. 18. num. 14. ex quibus Granado ait contrarium esse erroneum, Valentia contra fidem.

Probatur primò: Dei siquidem intellectus, cum sit infinite perfectus, cognoscere semper debet quicquid est cognoscibile; ex quo aperte constat, nec de novo Deum scientiam acquirere posse alicujus, quod antea non noverat, nec ullius, cujus unquam habuit notitiam, cognitionem amittere; hoc enim in intellectu Divino argueret imperfectionem, verè enim laboraret ignorantia. Unde ulterius sequitur, Deum, si vel notitiam alicujus rei amitteret, vel de novo acquireret, non fore Deum.

Objicies primò: Deus, ut numero tertio dixi, potuisset alias creaturas cognoscere futuras, si nimirum eas, ut potuit, producere decrevisset: hæc verò modò non novit futuras: ergo scientia visionis est variabilis. Respondetur negando consequentiam; esse enim variabilem, dicit posse Deum non habere visionem earum rerum, quas aliquando vidit, seu visionem in sensu composito, quòd terminata semel fuerit ad talia objecta, posse postea ad ea non terminari, vel de novo representare objecta, quæ antea non representabat: hoc autem dicimus in Divinum intellectum cadere non posse, imperfectionem quippe in eo argueret, ut numero præcedente ostendi.

Objicies secundò: Deus aliquando novit Adamum creandum, nunc hoc non novit, sed creatum esse, ergo non eadem semper manet in Deo scientia, sed temporis decursu mutatur, aliæque & alia sibi invicem, pro diversis circumstantiis, succedunt. Respondetur, quantumvis sit mutatio & successio in rebus, Dei tamen scientia, hanc mutationem immutata cognoscit, & successionem permanentem. Deus ergo ab æterno novit, Adamum usque ad tale instans temporis veri, vel imaginarii, esse creandum, tali instante de facto creati, & post illud creatum esse: hoc, inquam, totum ante existentiam Adami, & etiamnum, ac semper novit Deus, illius scilicet creationem, talem cum illo instante temporis servare correspondentiam, eumque invariata planè scientiâ ab æterno vidit pro tali tempore existentem, tempore antecedente futurum, sequente esse præteritum.

Dices: non solum affirmat Deus Adami creationem pro tali instante existere, aut esse præteritam, sed instante creationis illius habuit actum, quo diceret, *Adami creatio nunc est*, hunc autem actum ab æterno non habuit, ab æterno siquidem falsum erat dicere, *Adami creatio nunc est*, quippe quæ non fuit ab æterno. Plus ergo dicit hic actus, quam Adami creationem merè in tali tempore existere; particula enim *nunc* insuper denotat, tempus illud loquenti coexistere: hunc ergo actum, *Adami creatio nunc est*, non nisi illo tempore vel instante habere potuit Deus, quo de facto creatio illa existebat.

Hæc

IV.  
Omnia Dei  
scientia est  
invariabi-  
lis.

V.  
Intellectus  
infinite per-  
fectus cog-  
noscere semper  
debet omne  
cognoscibile.

VI.  
Per scientiam  
visionis quæ  
semel fuit,  
semper sui-  
tur.

VII.  
Quæ semel  
novit Deus  
restoret, &  
suille.

VIII.  
Quam ser-  
sum seriatim  
hic adus  
Dei, Adami  
creatio  
nunc est.

IX.  
Differentia  
inter actum  
creatum &  
increatum  
circa deter-  
minationem  
ad tempus.

Hæc est præcipua materia hujus difficultas, & nodus, haud dubiè, solutu difficillimus. Respondetur tamen, Deum, etiam hoc instante verissimè dicere, *Adami creatio nunc est*, seu, *nunc mihi coexistit*, intelligendo nihilominus pro instante illo in quo revera existerat. Dices: ergo si homo quispian nunc diceret, *Adami creatio nunc est*, intelligendo instans illud, in quo fuit creatus, verum diceret. Negatur tamen consequentia: propositio enim creata, utpote limitata, dum dicit *nunc*, illud solum instans intelligit, quod tunc ei coexistit; hoc autem non est instans illud, in quo creatus est Adamus. At verò actus increatus, seu cognitio Divina, ut rectè hic observant Suarez, & Grana-do tract. 6. Disp. 1. num. 11. mensuratur aeternitate, unde ad nullum certum instans restringitur, sed ad coexistendum indivisibiliter omni tempori & instanti, ex essentia sua determinatur.

X.  
Propositio  
indivisibili-  
ter respiciens  
varia instan-  
tia, pro quo-  
vis illorum  
verificatur.

Rem hanc, cum quibusdam recentioribus sic ulterius declarari posse existimo. Ut propositio de presenti sit vera, sufficit ejus objectum pro illo instanti existere, pro quo completè actus ille elicetur. Quare si possibilis foret actus aliquis creatus, qui essentialiter esset determinatus ad coexistendum indivisibiliter sex instantibus, ita ut ante sex illa instanta clapsa destrui non posset, (qualem ponunt aliqui creaturam petentem essentialiter durare per horam, vel diem) hic, inquam, actus pro quolibet ex sex illis instantibus dicere posset, exempli gratià, *nunc sol lucet*, tantummodò enim significaret, solem tali ex sex illis instantibus lucere, quibus propositio illa essentialiter coexistit. Cujus ulterior ratio est, quòd hæc propositio sit virtualiter sex propositiones, quarum singula sibi invicem succedendo, uni ex sex illis instantibus essentialiter coexistet: sicut enim in his propositionibus, quæque de suo instante affirmare posset, *solem lucere*, simulque denotare tale instans sibi coexistere, ita hæc propositio, quæ est sex illæ æquivalenter, hoc idem de singulis affirmare potest, & insuper denotare eadem instantia, suo quodque ordine sibi correspondere, utpote quibus omnibus successivè, ex essentia sua indivisibiliter coexistit.

Propositio  
gens essen-  
tialiter du-  
rare per sex  
instantia,  
est virtual-  
iter sex pro-  
positiones.

XI.  
Scientia Dei  
omni tem-  
pori possibilis  
essentialiter  
& indivisibi-  
liter coex-  
istit.

Existimo quidem talem actum creatum esse impossibilem, ob dicta in Physicis Disp. 13. sect. 5. & 6. contra actionem, unionem, & ubicationem indivisibiles, & Disp. 38. sect. 3. num. 7. contra indivisibilem durationem. At verò actus, seu scientia divina de factò est ejusmodi, utpote ab æterno in æternum persistens, & singulis temporis partibus & instantibus indivisibiliter correspondens, atque ad iis coexistendum essentialiter determinata. Deus itaque ratione hujus indivisibilis scientiæ, dicere modò potest, *Adami creatio nunc est*; sensus enim est, creatio Adami existit in tali instanti, quod

instans est aliquid illius temporis cuius ego partes omnes & puncta aeternitate meâ ambio, & indivisibiliter complector: & quamvis in tempore sit successio, ejusque partes, aliæ semper ex aliis nascantur, longaque, & nunquam intermissâ serie succedant: in Deo tamen nulla est vicissitudo, nec successio, sed *idem ipse est*, neque in eo reperitur *fore aut fuisse, sed esse*: Unde Exodi 3. v. 14. de se dixit Deus, Ego SUM qui SUM: & qui EST. In illius item, ut ita dicam, duratione non est *heri & cras*, sed *nunc* ejus semper est, utpote cuius aeternitas est *Interminabilis vite tota simul & perfecta possessio*.

In Deo nulla  
est vicissitu-  
do, nec suc-  
cessio.

Objicies tertio: Deum aliquando scivisse hunc mundum fuisse possibilem, prius scilicet naturâ, quam illum decerneret producere: jam autem non novit eum esse possibilem, sed existentem, ergo scientia Dei est variabilis. Resp. Deum, etiam pro illo primo signo rationis, non vidisse mundum in statu puræ possibilitatis, seu cum negatione futuri-tionis, sed solum pro illo priori habuit se præcisivè circa mundi existentiam, & negationem existentia, & merè illum considerasse secundum prædicata illius essentialia, apta quæ à parte rei ponerentur. Hinc autem non sequitur, Dei scientiam mutari, cognitionem enim possibilitatis mundi adhuc retinet; hæc namque est scientia simplicis intelligentiæ, quam cum scientia visionis non repugnare, supra ostensum est sect. 11. num. 2. & 3. & apertè docet S. Thomas ad Hanibaldum in 3. dist. 14. q. 1. a. 2. corp. & est per se manifestum.

XII.  
Quo sensu  
novit Deus  
hunc mun-  
dum esse  
possibilem.

Solum restat difficultas circa verba quædam S. Thomæ, qui hic q. 14. a. 15. ad tertium, sic habet: *Concedendum est*, inquit, *quòd hæc propositio non est vera: Quicquid Deus scivit, scit*. Variè variè respondent. Mihi seipsum explicare videtur S. Doctor: dum enim addit, *si ad enunciabilia referatur*, satis indicat nullam in scientia Dei esse mutationem, quam ibidem ait esse *invariabilem*, nec eum quidquam nunc scire quod antea nescivit, aut nescire quod scivit, sed totam mutationem esse in enunciabilibus, seu ex parte objecti, mensurâ scilicet nostri temporis præcisè spectatâ. Unde pro aliquo instanti nostri temporis novit Deus, Adamum peccare, & dicebat, *nunc peccat*; sed cum jam nec Adamus, nec peccatum illud existat, sed in his rebus magna facta sit mutatio, Deus non novit eum nunc, seu in hoc instante peccare, hoc quippe nunc est diversum ab illo, in quo peccavit Adamus. Hinc autem, ut ibidem S. Thomas, non sequitur mutari scientiam Dei, sed novit, esse verum pro uno instante Adamum peccare, pro alio esse falsum: hoc verò ab æterno scivit, & etiamnum ac semper cognoscit.

XIII.  
Explicatur  
dicit quod-  
dam S. Tho-  
ma.

Tota muta-  
tio, juxta  
S. Thomam,  
est in rebus;  
Scientia Dei  
est invariabi-  
lis.

